MANVALE
MEDICORVM,

SEU

ΣΥΝΑΞΙΣ

APHORISMORVM
Hippocratis, Prænotionum, Coacarum, & Prædictionum, secundum propriam morborum omnium nomenclaturam, Alphabetico digesta ordine.

Labore & industria D. HONORATI BICAISSII D. M. in celeberrima Aquensi Gallo-Prouinciæ Vniuersit. Regia publici Profess. primarij.

GENEVÆ,
Sumptibus Petri Chouët.

M. DC. LX.

LECTORI
Beneuolo, S.

SPARSA passim Diui *Hippocratis* placita (*Lector clarissime*) ea qua potui industria redegi, vt tanti viri doctrinæ, fervor aliquis accresceret. Scimus enim radiare in cœlo Solem, à quo abstractus magnam sui luminis partem amitteret: scimus sydera in firma-

mento micantia, quæ ſi ab hoc extraherentur, fulgere deſinerent, ſic varia principis noſtri monita non elucerent, ſeu (vt veriùs dicam) incognita iacerent, niſi locum illis deſignaſſem. Habes igitur in hoc precioſo libello non confuſè tanquam in lapidicinis, ſed ordinatè vt in annulo aureo divites gemmas coacervatas, illum lege, illum fove, illum ama, ſi cupias magnus eſſe medicus. Recluſit in ſcrinio lapillis ornato Homeri poëmata Alexander, vellem ego vt in pectoris tui abdita, vel (vt rectiùs loquar) in memoriæ tuæ penetralia hunc includeres libellum. Hac præcipua de cauſa publicum feci vt fluxilem memoriam juvarem; meum feceram niſi quibus nihil vnquam juſtè denego ſubſtraxiſſent amici. Quod ſi à te mea non probetur induſtria, ſat erit, vt cum Poeta dicam,

> Hæc ſi diſplicui fuerint
> ſolatia nobis,
> Hæc fuerint nobis præmia ſi placui.

Interim vale, dum alio properat calamus, vt quæ in primo promiſit opere exaret.

Ne prætereas moneo in ma-

teriæ alicujus quæsitu, analogas inquirere literas seu consimilis naturæ titulos quales esse possunt, In sania, Delirium, Phrenitis, &c.

MA-

MANVALE MEDICORVM, SEU ΣΥΝΑΞΙΣ

APHORISMORVM Hippocratis, Prænotionum, Coacarum, & Prædictionum, secundùm propriam morborum omnium nomenclaturam, Alphabetico digesta ordine.

ABORSVS.

SI mulieri geminos ferenti mammæ subito extenuentur aborsus sequitur, aph.37. sec.5.

Mulieri geminos ferenti si altera mamma extenuetur, alterum aborsu edit, siquidem dextera mamma extenuata est marem, si verò sinistra, fœminam abortione excludit, aphor.38. sec.5.

Quæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores evaserint, aphor.44. sec.5.

Quæ verò mediocriter corpulentæ abortum faciunt secundo mense aut tertio sine occasione manifesta, iis cotyledones lentoris sunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere possunt, sed abruptis decidit. aph.46. sec.5.

Quæ ex partu & aborsu copioso celeriter cum impetu feruntur, si subsistant molestiam exhibent, hujusmodi mulieribus rigor inimicus est, & alvi perturbatio, præcipuè si præcordiorum dolore vexentur, 5.6. sec.2. l.2. co.

Ex aborsione vbi alba de repentè percurrunt, si rigor aliquis corripiat & ad femur impetus vnde prægnans fiat, tremor molestus subiit, 543. sec.2.l.2.co.

Quæ fœtum sunt perdituræ, iis mammæ extenuantur, contra verò duræ si fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt, aph. 53. sec.5. Vide partum.

ABSCESSVS.

In febribus abscessus qui primis judicationibus non solvuntur, longitudinem morbi significant. aph.51. sec.4.

Considerandum in qnibus speramus abscessus circa aures futuros, num ex capite doleant, an superiorum partium tenues sudores oboriantur, aut novus insuper rigor, ac deinde num alvus affatim prorumpat, aut aliquo sopore detineantur. Videndum quoque num vrinæ dilutæ cum sublimibus quibusdam innatantibus albidis & quæ varia exalbescunt, & graveolent, abscessus ad aures excitent, ac fortè quidem quibus hujusmodi vrinæ adsunt, iis crebra è naribus stillatio contingit, an & his quidem lingua lævis est ac minimè aspera, 163. l.1. sec.2. co.

Graves aurium abscessus qui citra judicationem sensim conquiescunt & dissipantur, damno sunt, 170. l.1. sec.2.

Vide Anginam, dolorem renum, vide febrium soporem.

ACVTI.

In morbis acutis non omnino certæ sunt mortis aut salutis prædictiones, aph.19. sec.2.

Morbi acuti generantur intra dies quatuordecim, aph.23. sec.2.

In præcipiti morbo si partes externæ perfrigerentur, internæ verò vrantur ac sitis vrgeat, malum denunciatur, 115. sec.2. l.2. co.

In præcipiti morbo, capitis dolor, & præcordia revulsa, nisi sanguis ex naribus profluat ad phernitidem deveniunt, 119. sec.2. l.2. co.

Vide bilem atram, crisim, faciem.

ALVVS.

Quibus in juuentute alvus est humecta iis in senectute siccatur, quibus contrà sicca

astrictaue juvenibus fuit, iis senibus humectâ laxaue fit, aph.20. sec.2.

Alvi durities cum dolore, vna cum febribus, horroris sensu insignibus, ac cibi fastidio, laborantibus, paululum humectata alvo, ad suppurationem non tendit, 640. sec.2. l.2. co.

Quibus alvus est humida juventam quidem agunt faciliùs quàm qui eandem siccam habent, sed senectute difficiliùs defunguntur; ipsis siquidem senescentibus ferè resiccantur, aph.93. sec.3.

Vbi alvus intercepta est & arctè conclusa, parvaque & nigra caprarum stercoribus similia, nec nisi coacta emittit, hoc casu sanguis è naribus erumpens periculo est, sent.41. l.1. sec.2. prædict.

Alvus circumtensa ex medici industria liquida dimittens, celeriter intumescens, convulsionis significationem quandam præ se fert, quod & Aspasij filio contigit, in his novus subortus rigor perniciem facit, ex his casibus convulsione tentato ac inflato vbi diutiùs morbus traxerit, ex ore putrida & virulenta prodeunt, 99. l.1. sec.2. præd.

Alvi fluxus, vide excrementa & crisim.

Alvi, vide dolorem juguli & præcordiorum.

Alvi durities cum dolore in febribus horroris sensu insignibus ac cibi fastidio laborantibus nisi paululum humectata alvo purgationem faciat, ad suppurationem tendet,

303.

303. sec.2. l.2. co.

Eandem habet sententiam, 140. sec.2. l.2. co.

Alvus perturbata salsuginosa demittens, vna cum febre non admodum torpore & sopore oppressos consequitur, 641. s.2. l.2. c.

Alvi solutio quæ præter rationem accidit, cum voce tremula in his diutiùs perseverante perturbatione pernicies intentatur, 258. sec. 2. l.2. co.

Longo alvi profluvio laboranti sponte vomitus superveniens morbum solvit, aph.13. sec.6.

Mulieri vterum gerenti si alvus multum fluat, periculum est ne abortiat, aph.34. sec.5.

Biliosis alvus perturbata exigua reddens genituræ similia & mucosa, doloremque ad imum ventrem inferentia, vrinæ quoque non facilè prodeuntes, ad hydropem tendunt ex hujusmodi casibus, 455. sec.2. l.2. co.

ANXIETAS.

In Anxietate laborantibus cum alvi turbulenta suppressione celeriter velut culicum puncturæ in cutem erumpunt & ad oculos lachrymosus abscessus procedit, 564. sec.2. l.2. co.

In Angore & pervigilio vexatis ad aures abscessus maxime obveniunt, 563. sec.2. l.2. co. vid.

ANGINA.

Quibus ex Angina in pulmonem mali

converſio, ij intra dies ſeptem moriuntur: ſi verò hos effugerint purulenti evadunt, aph. 10. ſec.5.

Anginæ in quibus neque incollo, neque in faucibus quidquam apparet, ſed quæ vehementem ſuffocationem ac ſpirandi difficultatem adferunt, eodem aut tertio die necant, 363. ſec.2. l.2.co.

Quæ verò tumorem ac ruborem in collo capiunt, in reliquis quidem eodem modo ſe habent, verùm diuturniores ſunt, 364. ſec.2. l.2. co.

Præcipuè autem malum prorogatur, quibus non ſolum fauces, ſed cervicem quoque & pectus unà rubor occupat, maximè verò poteſt inde ſecunda valetudo contingere, ſi rubores ad interna minimè revertantur, quod ſi evaneſcant neque in exteriores partes converſum ſit tuberculum, neque plus facilè & ſine dolore exerceetur, aut neque iſta diebus judicatoriis contingant, perniciem denunciant. Ac fortaſſe etiam ſuppurati fiunt. Securitatis autem indicium eſt, ruborem & abſceſſus ad externas quàm maximè partes vergere, 365. ſec.2. l.2.co.

Quibus Angina ad pulmonem divertit, partim quidem intra ſeptem dies pereunt, partim verò liberati pus intro colligunt, niſi pituitoſa ſurſum educantur, 367. ſec.2.l.2.co.

In Angina laborantibus, ſubarida ſputa, gracileſcentibus faucibus malum prænunciant,

ciant, 369. ſec.2. l.2. co.

In Angina linguæ tumores abſque vlla ſignificatione evaneſcentes periculum denunciant. Quum etiam dolores citra evidentem cauſam diſparentes perniciem oſtentant, 370. ſec.2. l.2. co.

Angina laborantes niſi celeriter cocta expuant perniciosè habent. 371. ſec.2. l.2. co.

In Angina abſque vlla ſignificatione, reſudantes in caput dolores cum febre periculum indicant, 372. ſec.2. l.2. co.

In Angina laborantibus abſque vlla ſignificatione, delati ad crura dolores cum febre pernicioſi, 373. ſec.2. l.2. co.

In Angina laborantibus abſque vlla ſignificatione, gracileſcentibus faucibus, dolor intenſus ad pectus aut ad alvum progreſſus, purulentas dejectiones facit, alioqui autem tale quid ſolutionem præ ſe fert, 375. ſec.2. l.2. co.

In Angina quæcunque conſpicuum dolorem non produnt periculi plena ſunt, quin etiam diuturni ſunt, qui ad crura progrediuntur dolores ægreque ad pus deducuntur, 376. ſ.2. l.2. co.

Angina correpto ſi tumor appareat in collo bonum, foras enim morbus exiſtit, aph. 37. ſec.6.

Ab Angina detento, tumor & rubor in pectore ſuperveniens bonum, foras enim morbus vergit, aph. 59. ſec.7.

Angina graviſſima quidem eſt & celerrimè interimit, quæ neque in faucibus, neque in cervice quicquam conſpicuum facit, plurimum verò dolorem exhibet & difficultatem ſpirandi, quæ erecta cervice obitur, inducit, hæc enim eodem etiam die & ſecundo, & tertio, & quarto, ſtrangulat, at quæ in reliquis quidem ſimiliter dolorem exhibet, in faucibus vero tumorem ac rubores excitat, admodum quidem exitialis eſt, priore tamen longe diuturnior, cum non ſolum fauces, ſed cervicem quoque rubor occupat, ex eáque præcipue evadunt, ſi cervicem & pectus robur detineat, neque ad interna eryſipelas revertatur, quod ſi neque diebus indicatoriis diſpareat eryſipelas, neque tuberculum ad exteriorem ſedem ſe vertat, neque pus ruſſim rejiciat, facileque ac ſine dolore habere videatur; mortem indicat aut ruboris reverſionem, at ſecurius eſt tumorem & ruborem ad externa converti, quod ſi ad pulmonem ſe vertat, dementiam excitat, & ex his nonnulli ſuppurati plerumque evadunt: gurgulio quam & tumor & rubor occupat non ſine periculo reſecatur aut perunditur, inflammationes enim & ſanguinis profluvia ei ſuccedunt. Verum talia vt extenuentur aliis rationibus eo tempore tentanda ſunt, vbi verò totum ſecretum fuerit, & ſumma gurgulionis pars maior & rotunda, ſuperior autem tenuior extiterit, per id tempus manum admo-

admovere tutum eſt, ex I. prænot.

APOPLEXIA.

Apoplexiam fortem nullo prorſus modo debilem ægrè curaveris, aph. 42. ſec. 2.

Strangulati aut ſuffocati, nondum tamen mortui ad ſe non redeunt, quorum circa os collecta ſpuma apparuerit, aph. 43. ſec. 2.

Apoplexia autem fit maximè à quadrageſimo anno, ad ſexageſimum, aph. 57. ſec. 6.

AQVA

Aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leviſſima, aph. 26. ſec. 5.

ATRA BILIS.

Febrium initio ſi atra bilis ſurſum aut deorſum prodeat lethale eſt, 68. ſ. 2. l. 2. co.

vide bilem, dyſenteriam.

AVSTER.

Vide tempus.

AVTVMNVS.

Vide tempus.

AQVILO.

Vide tempus.

AVRIS.

Vide tinnitum, ſurditatem, tuberculum.

ÆGROTARE.

Minùs piruculosè ægrotant quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus nullo horum affinis cognatúſque exiſtit, aph. 34. ſec. 2.

ÆRVGINOSI.

Æruginosi non admodum ventosi, aph. 72. sec. 5.

ÆTAS.

Quod ad ætates verò pertinet, verè & prima æstate, pueri & his ætate proximi optimè degunt valentque maximè, æstatè verò & autumni ad alium vsque partem senes. Reliquo autumno & hyeme qui mediam ætatem agunt, aph. 18. sec. 3.

Secundùm ætates autem hi fiunt morbi, parvis & nuper natis puerulis, oris vlcera, vomitiones, tussis, vigiliæ, pavores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates, aph. 24. sec. 3.

Adventanre dentitionis tempore, gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia, maximè cum caninos edunt & iis præsertim qui crassissimi sunt, & qni alvo sunt dura, aph. 35. sec. 3.

Ipsis verò grandiusculis tonsillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrsum luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, stranguriæ, strumæ, & alia tubercula, præcipuè verò ante dicta, aph. 26. sec. 3.

Grandioribus autem & ad pubertatem accedentibus, superiorum etiam morborum multi, & febres diuturniores potiùs, & ex naribus sanguinis fluxiones, aph. 27. sec. 3. vide morbum, v.

Quod ad ætates autem attinet, tubercula quidem

quidem suppurantur, atque eadem strumosa magna ex parte pueros exercent, facileque ex his levantur, at iisdem ubi paululum ætate processerint atque adoleverint, nascuntur quidem minùs ac difficiliùs tolluntut. Viris autem id genus tubercula non admodum fiunt, verum favi formidabiles & cancri abditi desertim, & ex pustulis noctu inquietantibus (quas ἐπινυκτίδας vocant) ulcera serpentia quos herpetes nominant, donec annos sexaginta longè superarint. Senibus verò ex hujusmodi tuberculis nullum accidit, at cancri latentes, quique summa corporis infestant, fiunt, & ad mortem comitantur, ex locis difficiliùs sanantur alæ, ac laterum cavitates & femora, in his namque humores resident & recidivæ fiunt, & ex l. 2. præd.

Æstas, æstus, æstuatio, vide tempus, calor.

BALBI.

Balbi longo alvi profluvio maximè corripiuntur, aph. 32. sec. 6.

BILIS ATRA.

Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis suprà exierit, periculosum, aph. 22. sec. 4.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra bilis aut velut sanguis niger subierit, postridie moriuntur, aph. 23. sec. 4. vide atram bilem.

BILIOSVS.

Vide alvum.

BIBERE.

Quibus noctu bibendi est aviditas, iis obdormiscere bonum est, aph.27. sec.5.

BVBO.

Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras, aph. 55. sec.4.

CAPVT ET CEREBRVM.

Quæ caput quodammodo concutiunt, cum intensa oculorum rubedine ac manifesto delirio, perniciem denunciant, neq; tamen hoc ad mortem comitatur, verùm circa aures tumorem excitat, 163. sec. 2. l.2. co.

Quæ caput concutiunt & aurium sonitus excitant, sanguinem è naribus profundunt aut mulieri menstrua deturbant, idque præsertim si ad spinam ardor consequatur, fortasse etiam difficultas intestinorum expectanda est, 167. sec. 2. l.2. co.

Qui capite gravati ad sinciput dolorem sentiunt, per vigilio torquentur, iis sanguinis eruptionem fore spes est; tum vero præcipuè, si aliquis contensionis sensus ad cervicem pertingat, 168. sec. 2. l.2. co.

Quibus concussum fuerit cerebrum, vel ex plaga doluerit, aut aliquo casu, his illico vox deficit, neque vident, neque audiunt, fereque intereunt, 194. sec. l.2. co.

Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse, aph.58. sec.7.

Quibus divisum est cerebrum, his febrem & biliosum vomitum supervenire est necesse, aph.50. sec.6.

CALVI.

Qui calvi fiunt, iis varices magni non fiunt, quibus verò calvis existentibus varices superveniunt, ij rursus capillati fiunt, aph.34. sec.6.

CALCVLVM.

Calculo laborantes eo habitu constituti, ut ne urinariam fistulam calculus illabatur, promptè urinam reddunt, 472. s.2. l.2. co.

CALIDVM.

Calidum frequentiore usu hæc invehit incommoda, carnis effœminationem, nervorum incontinentiam, animi torporem, profusiones sanguinis, animi deliquia, ad quæ quidem mors, aph.16. sec.5.

Calidum in quo ulcere pus movet, maximum securitatis præstat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, convulsiones, tetanos mitigat, capitis gravitatem solvit, ossibus fractis plurimum prodest, maximè si nudata sint, multoque magis si in capite. His etiam prodest quæ moriuntur aut ulcerantur à frigore. Herpetibus denique exedentibus, sedi, pudendo utero, vesicæ: His omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens, aph.12. sec.5.

CALOR AVT FRIGVS.

Ex qua parte corporis inest calor aut frigus, ibi morbus, aph.39. sec.4.

Quando toto corpore mutationes accidunt, ut si corpus refrigeretur & vicissim calefiat, longitudinem morbi significat, aph. 41. sec. 5.

Relicti in præcordiis æstus cum febre, in qua totius corporis habitus perfrigeratur, malo sunt, idque præsertim si cum sudoribus contingat, 7. sec. 2. l. 1. præd.

CANCER.

Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius, curari enim citiùs intereunt, non curati verò longius vitam trahunt, aph. 38. sec. 6.

CARVNCVLA.

Vide urinam, dysenteriam, excrementa.

CERVIX.

Cervix dura cum dolore, & maxillarum connexio, ac jugularium venarum palpitatio vehemens cum tendinum distentione perniciem minatur, 261. sec. 2. l. 2. co.

CIBVS.

Paulo pejor, sed suavior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus, aph. 37. sec. 2.

Si quis febricitanti cibum præbeat, quem sano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit, aph. 55. sec. 7.

Si à morbo cibum adhibens quispiam vires non recipiat, copioso alimento corpus onerari indicat: si verò modicè epulanti idem eveniat, vacuatione indigere certum est, aph. 81. sec. 2.

Si à

Si à morbo bellè comedenti corpus non proficiat malum, aph. 31. sec. 2.

Qui adversa valetudine abundè initio comedunt, nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi fastidium incidunt: contrà qui initio forti inedia usi cibum postea appetere incipiunt, valetudine faciliùs liberantur, aph. 32. sec. 2.

Vide dysenteriam, lumborum dolores.

CIRCVITVS.

Vide crisim, satietatem.

COLLVM.

In febre detento si repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore mortiferum, aph. 35. sec. 4.

Collum neque converti, neque devorare posse plerumque lethale, 278. sec. 2. l. 2. co.

COLOR FACIEI.

Frequens coloris cum calore mutatio bono est, 125. s. 2. l. 2. c.

Quibus juvenibus diu coloris fœdatio inest, non tamen continenter ad instar regii morbi, & viri, & fœminæ capitis dolore conflictantur, & lapides ac terram edunt, aut profluvium per ora venarum sanguinem solita effundere patiuntur, hæmorrhoidas Græci dicunt, at colores cum virore pallidi diuturni, absque vehementi regio morbo, cætera quidem eadem facere solent: verùm præcordiorum dolores eo magis vexant quam cæteros, neque tamen lapides aut terram edunt.

Qui verò diu pallidi faciem habent tumidam, eos certum est aut capitis, aut viscerum dolore laborare, aut sedem internam quodammodo male affectam esse: Magua autem ex parte ubi hæc adfuerint, non unum aliquod malum inesse videtur, sed interdum multa, aut etiam omnia, ex lib. 20. prædicto.

Si color alius ex alio oriatur longitudinem morbi significat, aph. 41. sec. 5

COLLIQVATIO.

Hepatico colliquatio cum raucedine malum portendit, idque præcipuè si cum quadam tussi contingat, 447. sec. 2. l. 2. co. vide respirationem.

CONVALESCENTES.

Quibus in morbo conualescentibus pars aliqua laborat, eo abscessus fiunt, aph. 32. sec. 4. vide cibum.

CONCVSSIO.

Vide cerebrum.

CONSVETVDO.

Consueta longo tempore etiam si deteriora sint, insuetis minus molesta esse solent, quare ad insolita quoque facienda mutatio, aph. 50. sec. 2.

Præter consuetudinem aliquid facere, ut verbi gratia aliquid propensiùs curare, & magno studio eniti priùs non consuetum, aut contra, pravum, ut delirio proximum, 47. sec. 2. l. 2. co.

Quotidianis laboribus assueti, etiam si invalidi

validi sint aut senes, insuetis quamvis robustis & juvenibus, faciliùs consueta ferunt exercitia, aph. 49. sec. 2.

CONVVLSIO.

Convulsio ab helleboro lethalis, aph. 1. sec. 5.

Convulsio à vulnere perniciosa, aph. 2. sec. 5.

A copioso sanguinis fluxu singultus aut convulsio mala, aph. 3. sec. 5.

A purgatione immodica quam hypercatharsim vocant convulsio aut singultus malum, aph. 4. s. 5.

Qui tetano corripiuntur intra quatuor dies intereunt, si verò hos superauerint incolumes evadunt, aph. 6. sec. 5.

Convulsio vel à repletione vel à vacuatione fit, ita vero & singultus, aph. 39. sec. 6.

Quibus in convulsionibus oculi intente splendent, his mens non constat & diutiùs morbum trahunt, 351. sec. 2. l. 2. co.

Quæ convulsionis in morem affligunt, cum alto stupore, quem catochum vocant, tubercula ad aures attollunt, 352. sec. 2. l. 2. co.

Convulsiones & nervorum distentiones succedens febris solvit, 354. sec. 2. l. 2. co.

Ex vulnere convulsio lethalis, 355. sec. 2. l. 2. co.

Convulsio febri succedens periculum denunciat, minimum vere pueris, 356. sec. 2. l. 2. co.

Adultiores & qui ſeptimum annum exceſſerunt, convulſione in febre non comprehenduntur, alioqui periculum denunciatur, 357. ſec.2. l.2. co.

Convulſionem ſolvit febris ſuccedens acuta, quæ priùs non aderat, aut ſi priùs adfuit ingraveſcens, confert & urinæ vitreæ copioſus pertranſitus, & alvi fluxio, & ſomnus, convulſiones autem de repente ortas febris ſolvit, ac alvi fluxus, 358. ſec.2. l.2. co.

Loquendi impotentia in convulſionibus multum perſeverans, malo eſt, quæ verò parum durat, aut linguæ ſyderationem, aut brachij, aut eorum quæ in dextra parte ſunt, denunciat, ſolvitur autem magna urinarum confertim, ac derepente prodeuntium abundantia, 359. ſec.2. l.2. co.

In nervorum diſtentionibus, & iis quæ in poſteriorem partem fiunt, diſſolutæ maxillæ mortem afferunt, quin etiam lethale eſt in poſteriorum partium diſtentione ſudare, & corpus diſſolvi, ac in eodem malo per nares revomere, aut ubi per initia vox defecta fuit, clamare aut nugari; poſtridie enim affuturam mortem ſignificat, 361. ſec.2. l.2. co.

Febres cum poſteriorum partium diſtentione, vrinæ genitale ſemen referentes ſolvunt, 362. ſec.2. l.2. co.

Quibus tempora ſecantur, iis ex adverſa ſectionis parte convulſio fit, 498. ſec.2. l.2. co.

Vulneri ſuccedens convulſio malo eſt, 506. ſec.2. l.2. co. Con-

Convulſionem muliebria, ſi citra initia appareant, neque febris acceſſerit, ſolvunt, 531. ſec.2. l.2. co.

Turbulentæ & valde confidentes è ſomno exurrectiones, convulſiones minantur, præſertim vero ſi cum ſudore contingant, 112. l.1. prædict. ſec.2.

Quæ convulſionis in morem affligunt, cum alto ſtupore quem catochon vocant, abſceſſus ad aures excitant, 161. l.1. præd. ſec.2. ¶ Cõnvulſio cum tremore, corporis jactatione, & implaciditate, ac alto ſtupore quem catochon vocant, parvulorum circa aures obortorũ abſceſſuum ſpẽ facit, 162. l.1. præd. ſect.2. ¶ Cõvulſio in febre ſuborta eademq; die deſinens, bono eſt, 156. ſec.2. l.2. co. ¶ Cõuulſio in febre ſuborta, febrem primo die, aut poſtero, aut tertio ſinit, quod ſi horam qua prehendit ſuperet, ac deſinat, malo eſt, 157. ſec.2. l.2. co.

In uteri ſtrangulatu non autem expertæ convulſiones faciles ſunt, 349. ſec.2. l.2. co.

Cum convulſionibus & ſudore febrienti, defluentia ſputa minimè mala ſunt; his præterea alvi aliquantulum madeſcunt, ac fortaſſe aliquid ad articulos abſceſſurum ſperandum eſt, 350. ſec.2. l.2. co.

Propter ardores vehemens convulſio, aut tetanus, malum, aph.13. ſec.7.

Propter vigiliam convulſio, vel deſipientia, malum, aph.18. ſec.7.

A medicamenti potione convulſio mortifera, aph.25. ſec.5.

Quæ convulsionis in morem affligunt ea altum soporem (catochum vocant) inducunt, 104. sec.2. l.2.co.

Spasmo aut tetano febris si accesserit morbum solvit, aph.57. sec.4.

Ex epoto helleboro convulsio exitum affert, 567. sec.2 l.2. co.

Vide calidum, dolorem lumborum, & febres.

CONTRARIA CONTRARIIS curari.

Qui à plenitudine fiunt morbi, vacuatione curantur, ut qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine, cæterorumque contraria sunt remedia, aph. 22. sec.2.

Quæ præfrigerata sunt excalefacere oportet; præterea, quæ sanguinem profundunt aut brevi sunt profusura, aph.19. sec.5.

Est tamen ubi in tetano sine ulcere juveni bene carnoso æstate media, frigidæ larga perfusio calorem revocat, calor verò hunc solvit, aph.21. sec.5.

Quoquo modo corpus moveatur, simul ac laborare cœpit, quies statim lassitudinem levat, aph.48. sec.2.

CONCIPERE.

Quæ præter naturam non concipiunt, iis uteri os ab omento comprimitur, itaque gravidari donec extenuentur nequeunt, aph.46. sec.5

At mulieres quænam magis aut minus uterum

uterum gestare sint idoneæ hunc in modum æstimare licet, in primis quidem in formas intuendo, parvæ namq; grandioribus in conceptum præstant, tenues crassis, candidè rubris, nigræ liventibus. Præstant item quibus venæ extant; iis quibus minimè apparēt, quin etiam grādiori natu exuberans carnis moles, malo est, mammæ autem turgidæ & magnæ probantur; atque ista quidem visui sunt exposita. At sciscitari oportet num menstrua singulis mensibus appareant, & num satis idonea copia, & an boni sint coloris, æquali copia in singulis temporibus & ratis mensium diebus effluant, quodquidem optimum est; locus verò conceptui idoneus, quem sanè uterum nominamus, sanus esse, & siccus, & mollis debet, at neque contractus, neque prolatus, neque ore distorto, aut compresso, aut diducto, etenim quidquid horum contigerit, conceptum fieri impedit. Mulieres igitur quæ concipere nequeunt & pallidæ videntur, absque febre neque aliqua causa in visceribus arctante, iis caput dolet, & menses malè ac incertè prodeunt, aut certè pauci, neque ex longo intervallo sic affectis apparent, & uteri purgatione indigent. At quæ tum bene coloratæ sunt, tum bene carnosæ & pingues, & venas habent latentes, & doloris expertes sunt, hisque menstrua aut nullo modo prodeunt aut pauca & sincera fluunt: in hujusmodi naturis difficillimè conceptus procura-

tur, quod si liberè apparentibus menstruis inculpato sit corpore mulier, neque concipiat, locus in quo uterus continetur in causa existimandus est, quo minus fœtus tollatur, aut etiam contractus est aut diductus; reliqua enim quæ hac contigere solent cum dolore & decoloratione, ac colliquatione fiunt: quibus verò ulcus in utero ortum est, sive ex parte sive ex tuberculo aut aliqua quapiam causa, iis febres & inguinum tumores obveniunt, illorumque locorum dolores: quod si partus purgamenta simul quoque restiterint, tum ea mala omnino sunt immoderata & diuturna accenduntque & præcordiorum dolores, & capitis: at verò ubi ulcus sanatum est, locus ille lævior ac durior necessario efficitur, & minùs conceptui idoneus: Quod si ulcus sinistra tantum occupet, mulierque concipiat, aut ubi adhuc ulcus habet, aut postea ubi convaluit, eam marem potiùs enixuram spes est. Sed si ulcus dextra teneat, & mulier concipiat, fœtus fæmineus magis expectandus est: at si febris comprehendat eam quæ concipere nequit & tussicula detineat, quærendum num uterum ulcus aliquod occupet, aut ex his malis quæ scripsimus aliud quidpiam, etenim ubi nil mali eo loco subesse constiterit, quod extenuationem aut conceptus impedimentum efficiat, sanguinis vomitione refusi metus impendet, ei verò mulieri menstrua ex necessitate disparuerunt.

Si ve-

Si verò febris sanguinis eruptione tollatur & menses appareant, concipiet: quod si ante sanguinis eruptionem alvus effusa fuerit, pravum in modum, periculum est ne mulier ante sanguinis eruptionem intereat. At quæcunque se concepisse existimant, neque conceperunt & multis mensibus decipiuntur, quod menstrua non compareant, ac venter turgescere ac moveri videatur, eæ capitis ac cervicis dolore præcordiorumque, conflictantur, neque lac in ipsarum mammis innascitur, nisi paucum quoddam & aquosum, cum verò ventris tumor dissolutus fuerit, ac mollis evaserit, eæ, nisi quid aliud obstet, concipient, quandoquidem affectio ista ad mutationem utero afferendam valet, adeò ut post hoc tempus concipiant: eæ verò quæ conceperunt doloribus istis non tentantur nisi consuetæ fuerint. His capitis dolores accedunt, & lac in mammis innascitur. Quas autem longæ fluxiones exercent de capitis dolore, lumborum & imi ventris interrogandæ sunt, sciscitari quoque oportet num dentium stuporem sentiant, aut visus hebetudinem, aut aurium sonitum: at quæcunque jejuna multis diebus aliquantulum biliosa vomitione rejiciant, si neque uterum gerunt, neque febre detinentur, interrogabis num lumbricos rotundos unà etiam vomitu refundunt, id enim nisi fateantur ipsis ad futurum prædices, potissimùm autem mulieres

invadit hic morbus, deinde etiam virgines, reliquos verò homines minùs, ex l.2. sec.2. præd.

Si scire velis an mulier concepit, dormituræ aquam mulsam potui dato, & si ventris tormina patiatur, concepit, sin minùs, non concepit, aph.1. sec.5.

COXENDICVM MORBI.

De coxendicum autem doloribus sic existimandum est. Quibus senioribus, vehementissimi torpores adsunt & lumbi ac crura frigescunt, nec pudendum erigere valent, alvusque non nisi coacta egerit; & muscosum alvi recrementum plurimum prodit, his maximè diuturnum fore ac prædicendum ex quo morbus cœpit, annum ut minimum perseveraturum, juvamentumque non nisi aut vere aut æstate sperandum. At juvenibus quidem non minores dolores afferunt coxendicum morbi, sunt tamen breviores, etenim quadragesimo die liberantur. Quin nec vehementes torpores, neque crurum ac lumborum perfrictiones fiunt. Quos autem morbus iste in lumbis ac cruribus vexat, neque tamen adeò ut decumbere cogantur, animadvertere oportet num aliquid uspiam in coxa concrescat, percōtarique; num ad inguen dolor perveniat. Etenim si utraque adfuerint, morbus efficitur diuturnus. Percontandum quoque num femur torpores sentiat, & ad poplitem pertingat. Quo concesso rursus petendum num

per tibiam ferantur ad primam summi pedis partem quæ tarsos dicitur, qui enim istorum bonam partem fatentur, his ipsis crus modò calidum, modò frigidum fieri rectè prædixeris. At quibus sic morbus, relictis partibus quæ ad lumbos sunt, intro vergit, eos bene sperare jubeto, quibus verò coxendicem & lumbos occupat & supra vergit, iis fore gravem prædicito. Quibus autem ad articulos dolores oriuntur & tumores, desinuntque sine podagra, iis & magna viscera adesse comperies, & in urina quod subsidet album, ac si cui tempora attollentur, ea sæpe dolere fatebitur, & sibi nocturnos sudores contingere. Quod si neque tale quidquam in urina subsidet, neque sudores contingunt, metus est ne articuli claudicent, aut in his abscessus fiat, quem melicerida vocant, iis autem morbus iste contingit, quibus pueris aut juvenibus, ex naribus sanguinis fluor consuetus desit. Ex quibus percontari oportet num in juventute sanguinis fluxus contigerit, & num pungentes prurigines ipsis in pectore aut dorso insint, aut eadem contingant, quibus vehementes alvi dolores absque perturbatione adsunt, aut quibus per ora venarum quæ sunt in ano sanguis effunditur. Hinc namque istorum morborum origo petenda est. Quod si viris hujusmodi fœdus color appareat, num etiam capitis dolor adsit percontandi sunt, quod fatebuntur. Ex quibus qui v[illegible]

tra parte dolores sentiunt, iis vehementes dolores fiunt, idque vel maximè si in præcordiis ad hepar dolor restiterit, quibus malis confestim levat strepitus qui in ventre fit, ac ubi dolor conquievit, urina crassa & pallida redditur, atque hoc morbi genus neutiquam lethale est, sed valde diuturnum, at ubi jam morbus inveteraverit homines oculorum caligine vexat; percontari igitur oportet num sanguis in juventute fluxerit aut oculorum caligatio contigerit aut urina pallida vacuata fuerit, aut intus excitati spiritus & supervenientes juvamentum attulerint, ista namque omnia fatebuntur ii, l.2. sec. præd.

CRASSI.

Qui natura sunt valde crassi, breviore vita fruuntur quàm qui graciles, aph.44. sec.2.

CREPITVS.

Vide flatus.

CHISIS.

Quibus crisis fit, nox quæ accessiones præcedit gravis, quæ subsequitur levior ferè solet existere, aph.13. sec.2.

Index septimi 4. sequentis septimanæ 8. initium, spectandus quoque est undecimus, siquidem is secundæ septimanæ quartus est. Rursumque decimus septimus spectandus, is enim à quarto decimo, 4. est & ab undecimo 7. aph.24. sec.2.

In præcipitibus morbis judicatio in qua- [illegible]bus expectanda est, 145. sec.2.

Morbi vero præcipites & acuti, effluente ex naribus sanguine, judicatione absolvuntur; idque die judicatorio, ac sudore copioso exorto, urinaque purulenta ac vitrea affatim reddita, in qua quod subsidet, laudabile fit aut abscessu effatu digno, & alvo mucosa & sanguinea dejiciente ac derepente prorumpente, vomitionibusque non pravis sub judicationem contingentibus, 150. sec.2. l.2. co.

Quibus ex naribus fluxiones quæ 7. 9. aut 14. die contingunt, vt plurimum à febribus vindicant. Eodem verò modo & biliosus alvi fluxus, & qualis in intestinorum difficultate fieri assolet, ac genuum & coxendicum dolore, urinaque sub judicationem concocta, at verò in muliere mensium profluvium, 152. sec.2. l.2. co.

Non, si quid in morbis acutis fiat præter rationem levius, fidere oportet, nec turbari, si quid temerè gravius acciderit. Istiusmodi enim multa sunt incerta, nec durare diu, aut persistere solent, aph.37. sec.2.

Vide febres.

Febrium judicationes iisdem numerantur diebus quibus & evadunt & moriuntur homines, nam & mitissimæ febres & quæ securissimis fulciuntur signis die 4. aut ante desinunt, maximè verò malignæ & quæ cum gravissimis signis fiunt, 4. vel potius interficiunt. Primus itaque earum insultus ad hunc modum definit. Secundus ad 7. deducitur

p. ad undecimum 4. ad 14. 5. ad decimum septimum. 6. ad vigesimum. Sic igitur circuitus ex acutissimis morbis per 4. facta accessione ad vigesimum terminantur. Neque verò horum quicquam integris diebus exactè numerari potest, cùm neque annus etiam neque menses integris mensibus numerari soleant, post hæc autem eadem ratione, juxta eandem adjectionem, primus circuitus est, quatuor & triginta dierum, 2. 40. 3.60. at inter horum initia perquam difficilè est dignoscere quinam longo temporis spatio judicari debeant, quod simillima sint eorum principia. Verùm à primo die advertere animum oportet, & pro singulorum quaternariorum additione considerationem adhibere, nec latebit quonam se vertat morbus. Quartanarum quoque conditio eundem servat ordinem: qui vero intra breuissimum spatium judicationem sunt subituri, faciliùs dignoscuntur, cùm maximè inter se ab initio diffideant, qui cùm ex morbo superfuturi sunt, facilè spirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque securissima signa habent. At perituri difficultate spirandi vexantur, delirant, vigilant, cæteraque pessima signa habent. His igitur sic se habentibus, de morbis ad indicationem tendentibus, tum ex tempore, tum ex in aquaq; adjectione conjectura facienda est, ad eandem quoq; rationem & mulieribus indicationes ex parte contingunt. Capitis dolores

lores vehementer ac continenter cum febre, aliquo quidem ex signis accedēte, admodum exitiale. Quod si sine signis hujusmodi, dolor 20. diem superat, & febris detineat, sanguinis è naribus eruptionem aut alium quendam abscessum ad inferiores sedes suspectari oportet. Verùm quo ad dolor recens fuerit, eodem modo sanguinis è naribus eruptionem aut suppurationem expectare convenit cùm aliàs, tum si dolor circa tempora & frontem affuerit, at sanguinis eruptio magis expectanda venit in his qui nondum quintum & trigesimum annum attigerunt, senioribus vero suppuratio, ex l. præn. s.2.

Quæ perniciem minantur, ea si absque vlla significatione alleviant, mortis periculum denunciant, 52. l.1. præd.

Quæ cum malignis signis allevamentum afferunt, & quæ cum bonis non remittunt molesta sunt & difficilia, 48. sec.2. l 2.co.

CRVDITAS.

Vide Vrinam.

CVBITVS.

Vide dolores cubiti.

CVTIS.

Cutis corporis squalida, & plus æquo sicca, malè affectæ alvi index est. In his prærubræ carunculæ ex alvo prodeunt, 617. sec. 2.l.2.co.

DEMENTIA, SEV DESIPIENTIA & DELIRIUM.

Dementia in quibus ægri sunt tremuli aut aliquid investigantium more sensim contrectant, aut palpant, phrenitim prænunciant, quin & ad suram dolores, in his mentem emoveut, 56. sec.2. l.2. co.

Propter plagam in capite acceptam, stupor aut desipientia malum, aph. 22. sec.7.

Deliratio quæ cum risu fit tutior, quæ verò studio adhibito periculosior, aph. 57. sec.6.

Vehementes insaniæ cum vocis defectione perniciem intentant, 254. sec.1. l.2. co.

Qui statim perturbantur sine ratione, pervigilio torquentur, nigra & compacta ex alvo demittunt, interdum sanguinem è naribus profundunt, 110. sec.2. l.2. co.

Quæ sensim fiunt mentis feroces emotiones, in ferinas evadunt, & convulsiones portendunt, 155. sec.2. l.2. co. Eadem sententia habetur, 85. sec.2. l.3. co.

Desipientia cum difficultate spirandi è sudore lethalis est, quin etiam cum difficultate spirandi & singultu mortem adfert, 89. sec. 2. l.2. co.

Desipientiæ cum sopore, convulsiones minantur, 84. sec.2. l.2. co.

In febribus vehementes emotiones cum taciturnitate, in eo cui vocis defectus non est, perniciem minantur, 70. sec.2. l.2. c. quæ brevi tempore durant feroces mentis alienationes, malæ sunt & in ferinas evadunt, 246. sect.2. l.2. co.

A sangui-

A sanguinis profluvio desipientia aut etiam convulsio malum, aph.2. sec.7. vide insaniam. Decubitum, vide jacere.

DESTILLATIO.

Destillationes & gravedines coctionem in valde senibus non admittunt, aph.40. sect.2.

Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perveniunt intra dies viginti, aph.38. sect.7.

Dejectiones, vide excrementa.

DENTES.

Dentium collisio aut stridor præter consuetudinem à teneris contractam insaniam ac mortem denunciant: quod si jam deliranti istud accidat, prorsus exitiale est, quin & dentes resiccari perniciem denotat, 235. sec.2. l.2. co.

Dentis syderatio abscessum ad gingivas enatum solvit, 236. sec.2. l.2. co.

Ad dentis syderationem vehemens accedens febris cum delirio; mortem minatur: quod si furventur ægri, vlcera pus colligent, & ossa abscedent, 237. sec.2. l.2. co.

Dentium stridor quibus per sanitatem minimè est consuetus periculum denunciat: suffocatio in his valde prava, 48. sec.2. l.1. præd.

In febribus dentibus stridere quibus à puero minimè est consuetum insaniam & mortem significat ex l. prænot. Vide febres.

DEGLVTIRE.

Potum ægrè deglutienti cum spiritu tussiculoso eructatio quodammodo revulsa, intro convoluta, ventris dolorem denunciat: vitiosæ etiam sunt prærubræ dejectiones, æruginosæ 4 die apparentes, ac hujusmodi sanguinis profluvia soporem inducunt; in his casibus ex convulsione moriuntur, nigris ante prodeuntibus, 632. sec.2. l.2. co.

Vide collum.

DYSENTERIA, SEV DIFFICULTAS intestinorum & diarrhœa.

Si dysenteria laboranti veluti carunculæ dejiciantur, mortiferum, aph.26.sec.4.

In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium malum & cum febre pejus, aph.3. sec.6.

Intestinorum difficultate laborantibus, vomitio biliosa circa initia, malo est, 463. sec. 2. l.2. co.

In gravi intestinorum difficultate quibus humor ad pus pervenit, quod summum insidet, exalbidum erit, & copiosum 464. sect. 2. l.2. co.

Intestinorum difficultate laborantibus, aliquantulum rubræ, limosæ, & copiosæ dejectiones, in flammeo colore & prærubro persusis solutæ insaniam suspectam faciunt, 465. sect.2. l.2.co.

Lienosis difficultas intestinorum non longa vtilis, longa verò mala, vbi enim desinit si aquæ

si aquæ inter cutem, aut intestinorum lævitates oriuntur, mortem afferunt, 466. sect. 2. l.2. co.

A diarrhœa dysenteria, aph.75. sect.7.

Dysenteriæ supervenit lienteria, aph.76. sect.7.

A sincera dejectione dysenteria, aph.25. sect.7.

Dysenteria si ab atra bile incipiat, exitiosa. aph.24. sect.4.

Quibus per diarrhœas spumosa sunt alvi excrementa, iis à capite fit defluxio, aphorism.20. sect.7.

DISVRIA.

Stranguriam & disuriam thoracis venæ sectio solvit, aph. 58. sect.7.

DOLOR.

Qui ab aliqua corporis parte dolentes, dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. aph. 6. sect.2.

Ex duobus doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior est, alterius sensum obscurat, aph.46. sect.2.

Dolores qui sine febre invadunt ne interficiunt quidem at plurimùm diuturni sunt, multasque mutationes ac recursus habent, atque horum genera primum quidem in capitis doloribus spectantur, quorum quidam leves sunt, quidam etiam longè graviores vitorum verò ea sic ineunda est ratio, quibus autem visus caligat & rubor quidam in ipsis

oculis fit, cum quadam frontis prurigine, eos juvat ſanguis ſua ſponte aut ex neceſſitate profluens, atque hic modus ſimplex eſt. At quibus dolores capitis & frontis contingunt, tum ex ingentibus ventis, tum ex frigore poſt vehementem æſtum nos gravedines potiſſimum quidem omnino liberant. Iuvant quoque & mucoſæ pituitæ in naribus ortæ, præcipuè quidem ſponte fluentes, ſin minùs vi expreſſæ, gravedines verò in totum fiunt adeo vt tuſſes conſequantur & ſternutamenta vbi ſuccedunt, neque dolores ſedant, iis tubercula & coloris parvitates ex neceſſitate aderunt: quos verò dolores ſine cauſa & diuturni & totum caput occupantes jam gracile, & viribus exhauſtos affligunt, in his attendendum morbum priore multo eſſe graviorem, quod ſi in cervicem & dorſum relicto capite dolor deſcendit, rurſusque in caput recurrit, adhuc gravior exiſtimandus eſt ac omnium maximè terret ſi à capite ad cervicem & dorſum pervenit, eos verò juvari ſpes eſt ſi abſceſſus aliquis eruperit, aut pus tuſſi rejectum fuerit, aut ſanguinem per ora venarum fundere ſint ſoliti, aut puſtulæ toto corpore pullularint, ex vſu etiam eſt caput porrigine tentari, ex ſec.2. l.2. prædict.

DOLOR CAPITIS.

Ex parte capitis poſteriore laboranti recta in frontem excurrens vena inciſa prodeſt, aph.68. ſec.5.

Capite

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum ſolvit, aph. 10. ſec.6.

Qui capitis doloribus & aurium tinnitibus citra febrem tenebricoſa vertigine & vocis tarditate, manùumque ſtupore tentantur, in his aut ſyderationem aut morbum comitialem aut etiam oblivionem ſperare convenit, 161. ſec.2. l.2. co.

Ex capite dolentes, & alto ſtupore, quem catochum dicunt, detenti, ac delirantes cum alvi interceptione, ferociente intuitu floridi, in ſcapulis rigeſcunt ac poſteriorum partium diſtentione tentantur, 162. ſec.2. l.2. coac.

Quæ caput quodammodo concutiunt, cum intenſa oculorum rubedine, ac manifeſto delirio, perniciem denunciant, neque tamen hoc ad mortem comitatur, verùm circa aures tumores excitat, 163. ſec.2. l.2.co.

Dolor capitis cum ſedis ac pudendorum dolore torporem ac impotentiam adfert, vocemque exolvit; neque iſta moleſtiam exhibent, verùm ex his ſomnolenti, ac ſingultuoſi nono menſe evadunt, & voce libera reddita in integrum reſtituuntur, 164. ſec.2. l.2. co.

Qui capitis dolore vexantur ac alto ſtupore quem catochum vocant, cum dolore detinentur oculos habent prærubros, in his

ſanguinis profluvium ſperandum eſt, 166. ſec.2. l.2. co.

Qui capite gravati, ad ſincipuc dolores ſentiunt pervigilio torquentur, iis ſanguinis eruptionem fore ſpes eſt, cum verò præſertim ſi aliquis tenſionis ſenſus in cervice apparet, 135. ſec.2. l.2. co.

In gravibus & acutis capitis doloribus, cum torpore & gravitatis ſenſu, proclives ſunt convulſiones, 171. ſec.2. l.2. co.

Ex capitis dolore liberat pus è naribus effluens, aut ſpura craſſa, & inodora, liberat quoque & Vlcerum eruptio, interdum verò & ſomnus, & alvi fluxus, 172. ſec.2. l.2. co.

Moderatus capitis dolor cum exhauſta ſiti aut ſudore febrem non ſolvente, gingivarum abſceſſus, aut citra aures tubercula denunciat, niſi alvus erumpat, 173. ſec.2. l.2 co.

Capitis dolor cum ſopore & gravitatis ſenſu quodammodo convulſionem accerſit, 174. ſec.2. l.2. co.

Qui capitis dolore, ſiti, levi pervigilio detinentur, obſcurè loquuntur, ad motum impotentes, humeſcente alvo, la[illegible]tudine vexantur, in his fortaſſe inſania metuenda eſt, 175. ſec.2. l.2. co.

Qui capite dolent cum levi aliqua ſurditate, manuum tremore, ceruicis dolore, nigricantes reddentes vrinas & denſas, ij ſi nigra vomitione refuderint, perniciosè habere [illegible]ſpicandi ſunt, 176. ſec 2. l. [illegible]

Quibus ex poſteriore parte oſſibus fractis, capitis dolor ineſt vehemens, & craſſa è naribus fluxio, malo eſt, ſi dolore autem ad oculum ſuborto, vigore corripiuntur, qui etiam oſſium ad tempora effracturæ, convulſiones accerſere ſolent, 118. ſect.2. l.2.co.

In vterum geſtantibus capitis dolores qui cum ſopore, à gravitate & convulſione fiunt, vt plurimum malo ſunt, 527. ſect.2. l.2.co.

In vterum gerentibus capitis dolores cum ſopore & gravitate malo ſunt, forteſque huiuſmodi naturæ vna etiam convulſionibus ſint obnoxiæ, 534. ſect.2. l.2. co.

Quibus abſque febre & coloris fœditate frequens adeſt verticis ac temporum dolor, ſi planè nullus alius fuerit faciei abſceſſus aut vocis gravitas, aut dentium dolor, iis ſanguis è naribus profluit, etſi alioqui ſani videntur, iis tamen aut lienem tumidum, aut caput dolere, aut ſplendicans quiddam ante oculos obverſari comperies; magna verò ex parte vna caput & lien hunc in modum ſe habere videntur, ſec.2. l.2. præd.

Vide abſceſſum, gravidam, ortum.

DOLOR IVGVLI & Cervicis.

Dolores ſenſim ingraveſcentes, ſi ad jugulum & ſuperiores partes tranſeant, perniciem minantur, 70. ſec.2. l.2. co.

Cervicis cubitorumque dolores, convulſiones minantur ex facie autem ad fauces [illegible]

procedunt, 270. sec.2. l.2. co.

Cervicis dolor in omni quidem febre malum, in his verò pessimum in quibus etiam vehementis insaniæ metus est, 273. sec. 2. l.2. co.

Quibus capitis & Cervicis dolor, ac totius corporis impotentia quædam cum tremore adest, ab his sanguinis eruptio liberat, fortasse ista dissolvuntur, verùm interim vesicæ intercipiuntur, 170. sec.2. l.2. co.

Ex Cervicis dolore cum sopore & sudore inflata alvus siquidem ex medici industria liquida demittat cum aliqua proluvie, deinde quæ biliosa non sunt restitent, huiusmodi asservata diuturniorem morbum efficient, in his animadvertendum est num proluvies alvi non biliosæ benigniores sint ac flatuoso tumori conducunt, 98. sec.2. l.1. præd.

DOLOR LVMBORVM.

In intenso lumborum dolore, & alvi subductione, largiore sumpto veratro, spumosorum crebra vomitio prodest, 310. sec. 2. l.2. co.

Quibus lumborum dolor in caput recursat & manus torpore affectæ, ac oris ventriculi dolorem sentiunt, aut aurium sonitus, ij liberaliter sanguinem profundunt, sed ex his alvus effunditur & mentis perturbatione vt plurimum tentantur, 308. sec.2. l.2. co.

Ex lumborum dolore, liberales sunt & largæ sanguinis fluxiones, 307. sect.2. l.2. co.

Lum-

Lumborum dolores, sanguinis profluvium excitant, 306. s.2. l.2. c.

Diuturni lumborum dolores, qui cum febre ad tertianæ naturam propiùs accedente ingravescunt, sanguinis grumosi successuri spem faciunt, 305. sect.2. l.2. co.

Quibus lumborum dolor in caput & manus recursat, & torpore affecti oris ventriculi dolorem sentiunt, tenuibus ac serosis humoribus abundant, ij liberaliter sanguinem profundunt. At verò his cum mentis perturbationibus effunditur, 139. sect.2. l.1. præd.

Lumbis dolentibus si oris ventriculi dolor accesserit futuræ per hæmorrhoidas vacuationis signum est, ac fortè etiam præcessisse significat, 130. sect.2. l.2. co.

Lumborum dolores diuturni qui sensim fiunt circum præcordia involuti, cum febre & ciborum fastidio, si intensum capitis dolorem advehunt, non sine convulsionis specie celeriter interfiunt. 110. sect.2. l.1. præd.

Si lumborum dolor diu detinet cum æstu implacido, tenui sudore circa caput & thoracem oborto, pernicies denunciatur: nam plerumque ij tremuli evadunt, & vox velut in rigore conspicuo tremula existit, 42. sect. 2. l.1. præd.

Qui lumborum & lateris dolore absque ulla occasione tentantur, ii in morbum regium incidunt, 325. sect.2. l.2. co.

Lumborum dolor cum æstu implacido & anxio, malum significat, 323. sect. 2. l. 2. co.

Lumborum dolor absque causa manifesta crebrò invadens, morbi malignitatem indicat, 322. sect. 2. l. 2. co.

Considerandum est in lumborum dolore conflictatis & anxietate citra vomitum & paulisper ferociter desipientibus ægris; num nigra per secessum proditura sint, 319. sec. 2. l. 2 co.

Lumborum oris & ventriculi dolor, cum forti screatione convulsionem quodammodo suspectam facit, 320. sec. 2. l. 2. co.

Qui lumborum dolore conflictantur, ii malè habent num his tremores fiunt, & maculæ rubentes quales in tibiis, cum rigore, 318. sec. 2. l. 2. co.

Lumborum ac tenuioris intestini, diuturni dolores & circum præcordia labores, in ægris unà cum febre cibum fastidientibus, eos dolor intensus ad caput progressus non sine convulsionis specie celeriter interficit, 117. sec. l. 2. co.

Lumborum dolores ad os ventriculi recursantes cum febre, horrore, si tenuia & aquosa vomitione rejecerint, delirarint, voce defecti sint, ii post nigrorum vomitionem moriuntur, 316. sec. 2. l. 2. co.

Dolentibus lumbis si oris ventriculi dolor accesserit, futuræ per hæmorrhoidas vomitionis signum est, aut etiam præcessisse significat,

gnificat, 302. sec. 2. l. 2. co.

Quæ ex lumbis in cervicem & caput redundantia levis syderationis more, resolutionis sensum inducunt, convulsionem ac mentis emotionem minantur. Videndum est num talia convulsionibus solvantur aut in hujusmodi habentibus alvi malè habeant, atque eadem diutiùs perseverent, 313. sec. 2. l. 2. co.

Ex recursatione doloris in lumbis, oculorum percussio, aut distortio mala est 314. sec. 2. l. 2. co.

Lumborum atque inferiorum partium dolores quibus etiam febris accedit, si relictis inferioribus septum transversum appetant, tum verò præsertim exitio sunt si aliquod periculosum signum accesserit: quod si reliquorum signorum nullum periculum ostenderit, futuræ suppurationis metus est, 108. sec. 2. l. 2. co.

Lumborum & capitis ac oris ventriculi dolor cum forti excreatione convulsionem suspectam facit, 106. sec. 2. l. 1. præd.

DOLOR VENTRIS.

Dolores ventris sublimes leviores, non sublimes fortiores, aph. 7. sec. 6.

Oris ventriculi dolores cum intestinorum cruciatu interaneorum animalia dejiciunt, 285. sec. 2. l. 2. co.

Oris ventriculi dolor seniori crebrò adveniens, repentinam mortem denunciat, 286. sec. 2. l. 2. co.

Ventris dolor à partu, in his purulenta expurgat, 520. sec.2. l.2.co.

Quibus inter ventriculum & septum transversum pituita concluditur; & dolorem adfert in alterutrum ventrem viam non habens iis per venas in vesicam pituita morbi fit solutio, aph.54. sec.7.

Oris ventriculi dolor ac præcordiorum pulsus cum febre, in qua totius corporis habitus perfrigeratur, malum denunciant; idque præsertim si cum tenuibus sudoribus contingunt, 283. se.2. l.2. c.

A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, suppuratio, aph.22. sec.7.

Vide alvum, dolorem lumborum, præcodriorum.

DOLORES PRÆCORdiorum.

Ex præcordiorum doloribus, alvus aliquantulum viscida paulatim transmittens stercoracea pauca effundit & fortassis sanguinem profundit, 292. sec.2. l.2. co.

Ingruentes ad præcordia dolores, cum pravi sunt, tum verò si alvos profundant, deteriores autem si parvo tempore fiant, quin & inde suborta ad aures tubercula, aliæque suppurationes malignitatem præ se ferunt, 274. sec.2. l.2.co.

Quos de repente absque febre, præcordiorum aut oris ventriculi dolor, aut crurum & inferiorum partium affligit, alvusque intumescit, venæ sectio aut alvi fluxus solutionem adefrt, his febricitare noxium est: Nam & longæ & vehementes febres subnascuntur, ac tusses, & spirandi difficultas atque singultus fiunt quibus in solutionem spectantibus vehemens coxarum dolor, aut crurum aut purulenta sputatio, aut oculorum orbitas succedit, 294. sec.2. l.2. co.

Qui præcordiorum doloribus, oris ventriculi, jecoris ac earum quæ sunt circa vmbilicum partium conflictantur, cruenta alvi dejectione liberantur, secus autem moriuntur, 295. sec.2. l.2. c.

Præcordiorum dolores in febre ægro fari nequeunte si absque sudore solvantur, malum indicant, his ad coxendices dolores decumbunt, 297. sec.2. l.2. co.

Præcordiorum dolores in febribus cum loquendi impotentia, si sudore non solvantur maligni sunt, in his dolores ad coxendices cum ardenti febre, atque alvus affatim prorumpens, perniciem ostentant, 90. sec.2. l. 1. præd.

Dolores in febre in præcordia assilientes, sine sudore soluti maligni sunt, in his dolores ad coxendices cum ardenti febre, atque alvus affatim erumpens perniciem ostentant, 209. sec.2. l.2.co.

Anxietate vexatis præcordiis oborta ad aures tubercula mortem afferunt, 302. l.2. co.

Vide dolorem ventriculi, febres.

DOLOR FAVCIVM.

Vbi fauces dolent, aut pustularum eruptiones oriuntur in corpore, excrementa spectare oportet. nam si biliosa fuerint, vna corpus ægrotat; si verò sanorum excrementis similia, tutò corpus alere poteris, aph. 15. sec. 2.

Faucium gracilium dolores suffocantes convulsionem minantur, tum verò præcipuè si à capite originem ducunt, quale quid Thrasynontis consobrinæ contigit, 104 sec. 2. l. 1. præd.

Vbi fauces in morbis acutis dolent, graciles sunt parvæ & suffocantur, atque vbi os hiarit non promptè adduci ac claudi possit, mentis emotionem portendi oportet, ex his phrenitis, perniciosa est, 11. sec. 2. l. 1. præd.

Vehementes faucium dolores aurium tubercula & convulsiones excitant, itemque cervicis, ac colli dolores, 268 sec. 2. l. 2. co.

Vehementer dolentes fauces absque tumore, cum labore & molestia, præceps exitium minantur, 265. sec. 2. l. 2. co.

Fauces gracilium præfocantes dolores vbi ex capitis dolore ortum duxerint, convulsiones adferunt, 262. sec. 2. l. 2. co.

Fauces exulceratæ cum febre, grave aliquid portendunt, at si aliud aliquod etiam signum adfuerit, ex his quæ ante prava esse censuimus ægrum in periculo versari denunciandum est, pag. 55. sec. 2. l. 1. præd.

DO-

DOLOR AVRIS.

Auris intensus dolor cum febre acuta, ac cæteris aliquanto gravioribus signis, juvenes quidem intra 7. diem aut etiam celeriùs cum delirio necat, nisi puris copia ex aure, aut sanguis ex naribus effluat, aut aliud quoddam laudabile signum extiterit, ætate autm provectiores tardiùs, aut minùs tollit, nam & in his aures antè suppurant, & delirium minimè infestat, sed & in hac ætate multis morbus revertitur, ac proinde interficere solet, 189. sec. 2. l. 2. co.

Auris dolor acutus cum febre continua & vehementi gravis, periculum enim delirij ac mortis ægro adfert. Cùm igitur hic modus sit lubricus, celeriter à primo die ad omnia signa animum adhibere oportet. Moriuntur autem ex hoc morbo, juniores quidem 7. die aut citiùs, senes verò multò tardiùs. Nam & febres & deliria minùs eis suboriuntur, auresq; eam ob causam suppuratio præoccupat, verùm his quidem ætatibus succedentis morbi reversiones plurimos interfiunt, juniores verò priusquam aures suppurent, intereunt: quandoquidem si pus album ex aure fluxerit, juniorem superfuturum spes est, l. 1. sec. 2. prænot.

DOLOR LATERIS.

Doloribus lateris & pectoris, cæterarumque partium ægri an multum differant, discendum est, aph. 5. sec. 6.

In dolore lateris, sanguinis è naribus stillatio mala est, 405. sec.2. l.2. co.

Lateris dolor cum biliosis sputis temerè ac præter rationem evanescens, ægros in vehementem & furiosam mentis emotionem agit, 97. sec.2. l.1. prædic.

Vide pleuritidem, & febres.

DOLOR DORSI.

Qui ex dorsi dolore initia ducunt ægritudines, difficiles, 309. sec.2.l.2.co.

DOLOR COXÆ.

Quibus longo coxendicum dolore conflictatis, femoris summum coxæ excidit, rursumq; recidit, iis mucosa ibidem pituita colligitur, aph.59. sec.6.

Quibus diuturno dolore ischiadico laxatis femoris caput coxa excidit, iis femur contabescit & claudicant nisi vrantur, aph.60. sec.6.

De coxendicum autem doloribus sic existimandum est, quibus senioribus vehementissimi torpores adsunt, & lumbi ac crura frigescunt, nec pudendum erigere valent, alvusque non nisi coacta egerit, & mucosum alvi recrementum, plurimum prodit, his maximè diuturnum fore, ac prædicendum ex quo morbus cœpit, annum vt minimùm perseveraturum, juvamentumque non nisi aut verè aut æstate sperandum. At juvenibus quidem non minores dolores afferunt coxendicum morbi, sunt tamen breviores: etenim 40. die

40 die liberantur, quin nec vehementes torpores, neque crurum, ac lumborum perfrictiones fiunt: quos autem morbus iste in lumbis & cruribus vexat, neque tamen adeò vt decumbere cogantur, animadvertere oportet, num aliquid vspiam in coxa concrescat, percontarique, num ad inguen dolor perveniat: etenim si vtraque adfuerint, morbus efficitur diuturnus, percontandum quoque num femur torpores sentiat & ad poplitem pertingat, quo concesso rursus petendum num per tibiam ferantur ad primam summi pedis partem, quæ tarsos dicitur; qui enim istorum bonam partem fatentur, his ipsis crus modo calidum modo frigidum fieri rectè prædixeris, at quibus hic morbus relictis partibus quæ ad lumbos sunt, infra vergit, eos bene sperare jubeto: quibus vero coxendices & lumbos occupat, & suprà vergit, iis gravem fore prædicito: quibus autem ad articulos dolores oriuntur & tumores, desinuntque sine podagra, iis & magna viscera adesse comperies, in vrina quod subsidet album ac si cui tempora attollentur, ea sæpe dolere fatebitur, & sibi nocturnos sudores contingere. Quod si neque tale quicquam in vrina subsidet, neque sudores contingunt, metus est ne articuli claudicent, aut in his abscessus fiat, melicerida vocant. Iis autem morbus iste contingit, quibus pueris aut juvenibus ex naribus sanguinis fluor consue-

tus desiit, ex quibus percontari oportet num in juventute sanguinis fluxus contigerit, & num pungentes prurigines ipsis in pectore aut dorso insint, aut eadem contingunt quibus vehementes alvi dolores absque perturbatione adsunt, aut quibus per ora venarum quæ sunt in ano sanguis effunditur, hinc nanque istorum morborum origo petenda est. Quod si viris hujusmodi fœdus color appareat, num etiam capitis dolor adsit percunctandi sunt, quod fatebuntur. Ex quibus qui ventris dextra parte dolores sentiunt, iis vehementes dolores fiunt, idque vel maximè si in præcordiis ad hepar dolor restiterit, quibus malis confestim levat strepitus qui in ventre fit, ac vbi dolor conquievit, vrina crassa, & pallida redditur. Atque hoc morbi genus neutiquam lethale est, sed valde diuturnum, at vbi jam morbus inveteravit, homines oculorum caligine vexat. Percontari igitur oportet num sanguis in juventute fluxerit, aut oculorum caligatio contingerit, aut vrina pallida vacuata fuerit, aut intus incitati spiritus & supervenientes, juvamentum attulerint. Ista namque omnia fatebuntur, pag. ult. l.2. sec.2. præd.

Vide anginam, & coxendicum morbos.

DOLORES RENVM.

Si quibus verò è renibus laborantibus, præter supradicta signa, dolores etiam circa spinæ musculos fiant, si quidem ad loca exteriora

teriora sentiantur, foras abscessum quoque fore expecta: si verò ad interiora magis vergant, introrsus etiam abscessum futurum potius sperandum est, aph.36. sec.7.

Derepente obortus renum dolor cum vrinæ suppressione, calculorum aut vrinæ crassæ mictionem indicat, 589. sec.2. l.2. co.

DOLOR SEDIS.

In longis periculis sedis dolor mortem affert, 71. sec.2. l.2. co.

Vide dolores capitis.

DOLOR PECTORIS.

Dolor in pectore fixus cum torpore suborta febre malum indicat, iique celeriter mortem oppetunt, 315. sec.2. l.2. co.

DOLORES PVLMONVM.

Quæ ad pulmonem aut præcordia dolores faciunt, si in pus vertantur, malum denotat, 216. sec.2. l.2. co.

Dolores in locis hujusmodi de pulmonibus loquitur, qui neque ad expuitionem, neque ad venæ sectionem aut victus rationem desinunt, ad suppurationem tendunt, 294. sec.2. l.2. co.

Vide sputum.

DOLORES VMBILICI.

Dolores circa vmbilicum cum palpitatione, mentis quidem alienatæ significationem quandam præbent: at iis sub judicationem conserta & crebra pituita cum dolore prodit, 300. sec.2. l.2. co.

Supra vmbilicum labor, ac lumborum dolor qui remediis non cedit, in hydropem siccum desinit, 304. l.2. co.

Dolores circa vmbilicum cum palpitatione, mentis quidem alienatæ significationem quandam præbent, sub judicationem verò his plurimus & creber flatus cum singulari contentione prodit, & ad suram dolores in his mentis alienationem indicant, 36. sec.2. l.1. prædict.

DOLOR IECORIS.

Quibus hepar dolet, cum oris ventriculi dolore, sopore, rigore, ij alvo exturbata cum corporis extenuatione, ciborum fastidio, multis tenuibus sudoribus diffluunt, & purulenta per alvum demittunt, 448. sec.2. l.2. co.

Quibus jecur dum repente vehementer dolet, iis febris succedens remedio est, 446. s.2. l.2.co.

Vide jecur.

DOLOR VTERI ET durities.

Vterinæ ventris duritates cum dolore celerem perniciem denunciant, 528. sec.2. l.2. co.

DOLOR MAMMARVM.

Quæcumque mammarum dolore & febribus vexantur, eas sanguinis concreti spuitio non feculenta dolore liberat, 553. sec.2. l.2. co.

DOLORES HVMERI.

Humerorum verò dolores, qui ad manus tendunt torporésque & dolores exhibent, abscessus certè non consequuntur, at bilis atræ vomitione sanantur. Eos autem qui in humeris perdurant, & ad dorsum pertingunt, potis aut atræ bilis vomitione effugiunt, quorum hæc ineunda est ratio. Facilè quidem spirantes & extenuatos vomitione, nigram bilem effusuros magis sperare oportet. At difficultate spirandi laborantes, si in faciem color subruber aut niger antea non visus suboritur, pus spuitione potiùs reddituros spes est. Præterea etiam animadvertendum num pedes tumoribus infestentur. Hoc enim indubitatum est signum, hic autem morbus viris vehementissimus accidit à 40. anno ad 60. quam ætatem etiam coxendicum dolores præcipuè vexant, sec.2.l.2. prædicto.

DOLOR CVBITI ET CERvicis.

Cubiti cervicísque dolores convulsionem minantur, ex facie autem prodeunt ista, faucium que sonitus crebri cum salivatione, iis sudores in somnis bono sunt, nempe ex sudore levari plurimos consentaneum est, quibus si dolores invadunt inferiores partes proinde in his ex sopore aliquid couvulsionis periculum impendere nemini mirum videri debet, 116.l.1. sec.2. prædic.

Quæ in cubitis abscissa sunt, præcipuè cum

inflammatione ad suppurationem sectionum & ad ustionem perveniunt, 102. l.2. sec.2. prædic.

Dormire, vide somnum.

ELLEBORVS.

Elleborus perniciosus sanas carnes habentibus, convulsionem enim ingenerat, aph. 16. sec.4.

Epoto veratro rubra spumantia, pauca vomitione rejicere juvat. Duritias tamen facit, & magnas puris intrò collectiones eximit: qui verò talia vomitione refundunt, pectoris præcipuè dolore conflictantur, & in rigoribus crebrò & tenuiter exudant, testes in tumorem sublatos habent, quo in casu subinde rigent & graciles evadunt, 520. sec.2. l.2.co.

Vide convulsionem, dolorem lumborum, purgationem.

EMPYI.

Qui ex pleuritide empyi fiunt; si à ruptione empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem, aph. 15. sec.4.

Si empyi cùm uruntur, aut secantur, purum & album pus efflant, evadunt: si verò subcruentum, fœculentumque, & fœtidum, pereunt, aph.4. sect.7. vide hydrops.

Vide pus, pleuritides, pulmones.

EPILEPSIA.

Epilepsia laborantes pueros, cum loci victûsque, tum maximè ætatis mutatio liberat, aph.45. sect.2.

Epilepsia ante pubertatem amotionem recipit, post 25. annum ferè comitatur ad mortem usque, aph.7. sec.5.

Ex morbo sacro, quem comitialem dicunt, ægerrimè emergunt, quibuscum una à puero increscit morbus, & in virilem ætatem simul adolescit, deinde quibus ætate florente ortus est, nempe post annum quintum & vigesimum, ad quadragesimum quintum usque quos deinceps consequuntur, quibus morbus accidit, neque ante in corporis partibus aliquis venientis mali sensus est, quibus neque ex capite initium ducere videtur, aut latere, aut manu, aut pede, iis faciliùs sanantur. Hæc autem inter se differunt, ex his namque molestissimi sunt qui à capite originem trahunt, deinde ex latere, qui verò à manibus, ac pedibus, præcipuè sanitatem recuperant. His autem manum admouere medicum oportet, qui rectè curationis rationem tenuerit, ubi juvenes fuerint, & laboribus dediti, nisi secuti mens malè sit affecta, aut quis attonitus fuerit. Ejusmodi namque vehementes mentis emotiones nihil conducunt, reliquæ verò omnes, naturæ emotiones, quæ ad inferna tendunt, probantur; longeque optimæ hoc loco censendæ sunt, quæ maximè cruentæ. At senes qui corripi cœperunt præcipuè moriuntur, ac nisi pereant celerrimè, sua sponte servantur, minimeque à medicis juvantur, 98. præd. lib.2.

ERYSIPELAS.

Erysipelas foris intrò converti malum, intus verò foras existere bonum, aph.2.sec.6.

Si prægnanti fiat in utero erysipelas, perniciosum est, aph.43. sec.5.

Ab ossis nudatione erysipelas, malum, aph. 19. sec.7.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum, aph.20. sec.7.

Erysipelas verò foris quidem extare utile, intro autem vergere lethale; cujus quidem rei indicium est cùm rubore evanescente, pectus gravatur, & ægriùs spiritum trahit æger, 366. sec.2. co.

Vide anginam.

EVNVCHI.

Eunuchi podagra non laborant, nec calvi fiunt, apho.28. sect.6.

EVACVATIO.

Athletarum plenior corporis habitus, si ad summum plenitudinis gradum perductus lubricus est; neque idem permanere aut consistere potest, cùm verò non consistat nec jam possit in melius proficere superest ut recidat in deterius, quamobrem plenior illa corporis habitudo haud cunctanter est solvenda, quò corpus novæ nutricationis initum capiat, non tamen vacuando usque eo pergi velim, ut vasa in se penitus considant, hoc enim tutum non est, sed quatenus natura fer t; eousque progredi oportet: sic & extremæ

extremæ vacuationes periculosæ; contraque repletiones extremæ si fuerint similiter periculosæ, aphor.3. sect.1.

Quæ educere oportet quoquo maximè vergere videbuntur ducere, viis ac locis utiliter eò convenientibus, aph.21. sect.1.

Quæ vacuantur, multitudine metienda non sunt, sed si quæ oportet vacuentur, & facilè ferant, atque ubi ad animi deliquium educere convenit, faciendum, si ægrotus par esse possit, aph.23. sec.1.

In turbationibus alvi, & vomitibus quæ sponte fiunt, si qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt, sin minùs, contra fit, sic & vasorum depletio, si qualem fieri oportet, fiat, confert & facilè ferunt, sin minùs contrà accidit; proinde & regionis, & temporis, habenda est ratio; pro quibus talia vacuari debent necne, aph.2. sec.1.

Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move; vigentibus autem quiescere multò præstat, aph.29. sec.2.

Semel multum, & repente, vel vacuare, vel replere, vel calefacere; vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere periculosum; omne siquidem nimium æ natur inimicum; paulatim verò quod fit tutum, cùm alias tum maximè ab uno ad aliud facienda est mutatio.

Quibus venæ sectio aut purgatio prodest, his verè secanda est vena aut purgatio imperanda, aph.47. sec.6.

Quibus ſanguinem è venis detrahere conducit, iis vere ſecanda eſt vena, aph. 53. ſec. 7.

Vide purgationem.

EXCREMENTA ALVI.

Excrementa alvi nigra, ſanguini atro ſimilia ſponte euntia, ſive cum febre, ſive citra febrem peſſima; & quanto ipſorum colores pejores fuerint plures, eo deteriora: à medicamentis autem talia exigi, melius eſt, idque quanto ipſorum plus fuerint colores, aph. 21. ſect. 4.

Tenues ex alvo abſque mordacitatis ſenſu prodeuntes, dejectiones, ei qui ſibi bene conſtat, malum portendunt, velut nonnunquam jecinoroſo contingit, 78. l. 1. præd.

Ex ventre quæ prodeunt ſublivescentia, & turbulenta, urinæ etiam tenues, ac dilutæ ſuſpectæ ſunt, 108. l. 1. præd. ſect. 2.

Quæ inter ſe non cohærent, ſed facilè diſſolvuntur, & aliquantulùm friabilia ſunt, alvi recrementa liquida, cum ſummi totius corporis perfrictione, non ſine febre improbanda ſunt; ac præter hæc, ſi rigores veſicam, & ventrem, cum dolore invadunt, proinde in his ex ſopore aliquod convulſionis periculum impendere, nemini mirum videri debet, 116. ſec. 2. l. 1. præd.

Frequentes deſidendi labores, pauca aliquantulum flava, glutinoſa excernentes; cum paucis alvi recrementis, præcordiorum & lateris dolores, morbum regium prænuntiant: animad-

animadvertendum verò num ex iſtorum ſuppreſſione ii exolvantur, aut fortaſſe ſanguinem profundant. In his lumborum tenſio & dolores, ſanguinis erupturi fidem faciunt, 146. ſec. 2. l. 1. præd.

In alvi recrementis quæ cum torminibus dejiciuntur, ſedimentum limoſum, & ſublividum malo eſt. Ac fortaſſe quidem ad præcordia dextra dolor adeſt: & in his viris exolvuntur; videndum num abſceſſus ad aures paulò poſt cum dolore excitentur: in his omnibus alvus affatim prorumpens periculum intentat, 156. ſec. 1. l. 1. præd.

Alvo ſtercora nigra demittente, ſi ſopor appareat, tubercula ad aures excitat, 166. ſec. 2. l. 1. præd.

Seceſſus verò neceſſe eſt his qui defatigantur, dum parvo cibo aut potu contenti ſunt, exiguos, & duros procedere, ſive quotidie, ſive tertio quoque aut quarto die, aut longiore ex intervallo prodeant, tuncque metus eſt ne febris aut alvi profluvium prehendat: quibus tamen pejores ſunt dejectiones omnes, quæ tam ſunt liquidæ, vt in exitu figuratæ eſſe nequeant, frequentem verò cibum ſumentibus, ac multum defatigatis, mollem in tranſitu dejectionem, ſiccam eſſe oportet, ciborumque ingeſtorum copiam pro defatigationis ratione reſpondere, ſumpta autem æquali [illegible] copia, his quidem qui minimum [illegible] plurimæ: his verò qui

plurimùm defatigantur paucæ dejectiones prodeunt, si sani sint & proba victus ratione vtantur; (ea namque ad hæc conferre existimandum est) at liquidiores dejectiones, quæ citra febrem & die septima aut citiùs judicio terminantur vtiles, si semel vniuersæ affluant, neque repetant, quod si febris accesserit, aliique profluvia repetant, si diu perseverent omnino vitiosa sive biliosa fuerint, sive pituitosa, sive cruda, egéntque singula propria victus ratione tum medicatione, pag. 94. sect. 2. lib. 2. præd.

Alvi dejectio optima est, si mollis est & consistat, eoque tempore, quo per sanitatem dejici soleat, copia verò ciborum ingestorum rationi responderit, talis enim exitus inferiorem alvum bene valere declarat, at liquida alvi egestio ex vsu est si neque stridet, neque crebrò, neque ex brevibus intervallis excernitur: frequens enim desidendi labor ægrum fatigat, eique insomnia adfert. Quod si affatim & sæpe dejicit, periculum est ne animus deficiat. Verùm pro ingestorum ciborum copia, bis aut ter interdiu & noctu semel, dejici debet, plus tamen prima luce pro hominis consuetudine. Crassiorem autem fieri dejectionem oportet, morbo ad judicationem procedente, sit etiam subfulva, neque admodum graveolens, lumbricos quoque prodire rotundos cum alvi excretione, morbo in judicationem tendente expedit.

In om-

In omni verò morbo ventrem mollem esse, & mediocriter extumescere convenit; at valdè aquosum aut album, aut ex viridi pallidum, aut vehementer rubrum, aut spumans dejici, hæc omnia mala sunt. Præter hæc quoque malum est, quod exiguum, glutinosum, candidum, ex viridi subpallidum, & læve existit. His verò magis lethalia sunt, nigra, aut pinguia, aut livida, aut æruginosa, aut fœtida. Varia autem his quidem sunt diuturniora, nihilo tamen minùs exitialia. Hujusmodi sunt strigmentosa, biliosa, cruenta, porracea, & nigra, modo simul inter se mixta, modò per vices prodeuntia. Flatum autem sine sonitu quidem & crepitu exire optimum. Præstat tamen cum strepitu prodire, quam istic revolvi, at qui eo modo prodit, ægrum aliquo dolore vexari, aut delirare indicat, nisi æger sua sponte hoc modo flatum emiserit; & præcordiorum dolores & tumores, recentes quidem & sine inflammatione murmur solvit, circa præcordia exortum, idque potissimùm si cum stercore vrina, & flatu prodierit, alioqui vbi ipsum per se transmissum fuerit, juvat, idque magis si ad inferiores sedes descenderit, 48. sec. 2. præd.

Quibus prodeunte egestione biliosa, ad pectus morsus ac amaritudo sentitur, ij malè habere judicantur, 43. sect. 2. l. 2. co.

In pluribus graveolentibus dejectionibus cum febre acuta, præcordiorum contentione,

ex longo intervallo oborta ad aures tubercula mortem adferunt, 201. sect.1.l.2.coac.

A sanguinis eruptione nigrorum per alvum egestio, malo est. Quin & prærubræ, & æruginosæ dejectiones damno sunt, quibus ejusmodi sanguinis eruptiones 4.die contingunt, tandem sopore & convulsione conflictati, moriuntur prægressis nigris dejectionibus & ventre in tumorem sublato, 330. sec. 2. l.2. coac.

Alvi recrementum optimum est molle, constans, aliquatenus fulvum, nec admodum graveolens, eoque tempore quo per secundam valetudinem dejici solet excretum, copia verò ingestis cibis respondens. Crassum autem fieri oportet in judicationem eunte morbo, vtile quoque quod lumbricos teretes ad judicationem exire cogit, 901.sec.2. coac.

In præcipitibus malis spumans & circum biliosum excrementum, malo est, malum quoque, & exactè candicans: adhuc verò deterius farinæ molitæ instar & stercorosum, præter hæc sopor malo est, & cruenta alvi dejectio, ac immoderata vasorum inanitio, 602. sect. 2. coac.

Vbi alvus modicè intercepta, nigra stercoribus caprarum similia, nec nisi coactè demittit, hoc casu nasus erumpens malo est, 603. sec.2. coac.

Alvi recrementum glutinosum, syncerum, aut album in vitio est. Vitiosum quoque quod

quod abundè fermentatum est, & aliquantulùm pituitosum, pravum etiam cum ex his quæ densata feruntur; quod subsidet aliquantulum livescit, purulentum ac biliosum est, 604. sec.2. co.

Sanguis splendidus alvo per secessum rejectus, malo est, præsertimque si dolor aliquis adsit, 605. sec.2. coac.

Spumans & bile obductum alvi excrementum vitio est, iis verò præcipuè quos antea lumborum dolor, aut desipientia vexarit, fortéque dolores etiam iis adsunt, 607.sec.2. co.

Tenue alvi recrementum & spumans, in quo quod subsidet aqueum est, & ex pallido virescens, malo est. Malum quoque purulentum, nigrum etiam, cruentum malum, cum febre atque aliàs. Vitiosum quoque varium abundè coloratum alvi excrementum, eoque deterius quo colore formidandum magis, præterquam in medicamenti potione, tunc namque periculo vacat, copia non exuperans, friabilis quoque mollis in febre alvi secessus, vitio est. Vitiosus quoque siccus, qui facilè dissolvitur nec cohæret, decolor idque præcipuè si alvum humectat, lethalis verò si nigra antea prodierint, 608. sec.2.co.

Liquidum alvi recrementum & brevibus intervallis cumulatum malo est, partim námque vitium & insomnium, partim verò exolutionem pariet, 609. sec.2. co.

Perliquidum aliquantulum friabile alvi recrementum cum summi totius corporis perfrictione, non sine febre, vitiosum est. Rigores præterea vesicam & alvum corripiunt. Valde verò aquosa dejectio in præcipitibus malis non desinens, malo est, atque eo magis, si sitis vacuitatem fecerit, 610. sect. 2. co.

Prærubrum in alvi proluvio excrementum vitio est. Vitiosum etiam admodum ex viridi pallescens, aut albicans, aut spumans, aut aquosum. Item malum est quod exiguum glutinosum, læve, & ex viridi subpallidum, pessima quoque dejectio liquida in sopore & torpore detentis: lethale verò est etiam multum sanguinem grumosum ex alvo effluere: itemque candidum & liquidum excrementum, cum alvi tumore, 611. sec. 2. co.

Alvi excrementum nigrum, velut sanguis, & cum febre, & sine febre, malo est, mala item quæcunque varia, & quæ bile abundè sunt saturata, 612. sec. 2. coac.

Alvi recrementa quæ in spumosa & syncera desinunt, omnibus quidem ingravescentis mali significationem præbent, convulsione verò tentatis vel maximè in hujusmodi casibus ad aures tubercula oriri solent, at quæ perliquida, ac rursus consistentia, syncera, stercoracea, morbi longitudinem denunciant, prærubrum verò, in febre delirium, candicans autem stercorosum, in morbo regio molestiam exhibet, ac liquidum etiam vbi

ubi resederit ruborem adeptum, 613. sect. 2. coac.

Sanguinem effundentibus glutinosum alvi recrementum maculis nigris distinctum, malignitatem denotat, præcipueque exalbidis, 614. sec. 2. co.

Alvus perturbata cum frequenti desidendi labore maxillas intendit, rubores etiam faciei solvit, 616. sec. 2. co.

Exactè candicans alvi recrementum in febre, nullam bonam judicationem denunciat, 615. sec. 2. co.

Stercoracea alvi egestio cum tensione alvum malè affectam denunciat, pituitosa verò repente cum oris ventriculi dolore, intestinorum difficultatem & fortasse etiam lumborum dolorem: in talibus alvus circumtensa ex necessitate liquida demittens, celeriter intumescens quandam convulsionis significationem præse fert; in his novus subinde rigor periculum creat, 617. sec. 2. c.

Quibus nigra per alvum secedunt ij tenuibus & frigidis sudoribus diffluunt, 618. sec. 2 co.

Quibus circa initia alvus turbatur urinæ autem sunt paucæ, temporis progressu alvus quidem resiccatur. Vrina verò tenuis si abundat, his abscessus ad articulos fiunt, 619. sec. 2. co.

Frequentes desidendi labores rigorem adferunt, & quibus alvi recrementum vitiosum,

est, id maximam molestiam exhibet si 4. die initium fecerit, 620. sect.2. co.

Frequentes & ex parvis intervallis desidendi labores, aliquantulùm glutinosa excernentes cum paucis stercoraceis, præcordiorum & lateris dolore, morbum regium prenunciant; animadvertendum autem num ex istorum suppressione ij cum virore pallescant, eos verò etiam existimo sanguinem profundere, hos quoque lumborum dolores affligunt, & his sanguinem profundentibus, sanguis splendidus prodit, cum sopore & capitis dolore subinde incalescere, perniciem denunciat, 621. sec.2. coac.

Glutinosæ, biliosæ dejectiones, magis quodammodo abscessus juxta aures excitant, 622. sec.2. co.

Quibus faciei incendium & intensus rubor solvitur & graveolens est alvi egestio, redundans & subrubra; in his insaniæ metus est, 624. sec.2. coac.

In biliosa alvo, molli stercoracea egerente, apparentes æstus tumorem ad aures excitant, 626. sec.2. co.

Biliosas alvi dejectiones surditas, & surditatem biliosa alvi dejectio sedat, 627. sect.2. coac.

Exitialis est dejectio pinguis & nigra, ac livida cum odoris gravitate, itemque biliosa simile quiddam lentium aut cicerum lomento continens, aut veluti bene florulentos sanguinis

guinis grumos, & infantium egestionem odore referens, ac varia, eidemque diu perseverans, talis etiam fuerit cruenta, strigmentosa, biliosa, nigra, viridis, & simul & per vices excreta. Exitialis quoque quæcunque procedendo ægri sensum fallit, 611. sec.2.co.

Vitiosæ etiam sunt, prærubræ dejectiones, æruginosæ, 4. die apparentes, ac hujusmodi sanguinis profluvia soporem inducunt. In his casibus ex convulsione moriuntur, nigris ante prodeuntibus, 632. sec.2.co.

Quibus nigra per alvum secedunt ii tenuibus & frigidis sudoribus diffluunt, 633. sect.2. coac.

In iis qui longo tempore consumpti sunt, temerariæ & quæ præter rationem fiunt alvi exclusiones, vnà cum vocis defectione tremula, perniciem denuntiant, 934. sec.2.co.

Tenues nigrorum dejectiones horrorem inducentes, in talibus meliores, tales præcipuè juvant ætatem quæ vigorem antecedit, 635. sec.2. co.

Quibus cum alvi perturbatione sub judicationem morbus ingravescit, iis nigra per alvum prodeunt, 637. sec.2. co.

Ex diuturno ventris affectu vomentibus, biliosis cibum aversantibus, copiosus sudor obortus cum repentina virium impotentia, lethalis, 638. sec.2. co.

Vbi alvus humecta est, ægri lassitudine, capitis dolore, siti, insomnia torquentur, in

prærubro colore libertatis insaniam metuere oportet, si spirandi difficultas adfuerit: quos etiam ex virore pallescentes, facilis spiratio juvat, alvo subinde prorumpente, 642. sec.2. co.

Æstuosæ dejectiones, & cum contentione procedentes, malè affectam alvum prænunciant, 643. sec.2. co.

In biliosis perturbata alvus, pauca crebrò reddens, & cum paucis mucosis distentionem facientia, oborto circa tenue intestinum dolore, nec facilè prodeunte vrina, ex his casibus in aquam inter cutem tendit, 644. sec.2. co.

Qui æstum sentiunt, & prægressis dejectionibus, tenuibus sudoribus diffluunt, iis febris ingravescit, 646. sect.2. co.

In humecta alvo perfrictio cum sudore, vitiosa, 647. sect.2. coac.

Humescente alvo sanguis ex gingivis effluens, lethalis, 648. sect.2. co.

Alvi recrementum purum succedens, febrem acutem solvit cum sudore, 649. sec.2. co.

Alvi prærubra proluvies, cùm in omnibus quidem morbis, tum verò vel maximè in prædictis, malo est, 2. sec. lib.2. præd.

In biliosis & sinceris dejectionibus, spumosa efflorescentia malo est, iis præsertim quos antea lumborum dolor ac desipientia vexavit, 21. sec.2. l.1. præd.

In his

In his leves, & per intervalla lateris dolores, delirium significant, 22. sec. 2. l.1. præd.

Alvi recrementa, si in spumosa, & sincera desinant, mali incrementum significat, 50. sec.2. l.1. præd.

In gravibus malis, & biliosis, exactè candicantes, spumantes, & circumbiliosæ egestiones malo sunt, 53. sec.2. l.1. præd.

Vide dysenteriam, lienteriam.

EXCREATIONES.

Excreationes in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ. Commodè tamen si prodeunt bonæ: sed eadem quoque est eorum, quæ per alvum & vrinas excernuntur ratio, si quid verò quod non juvet per hæc loca excernatur, malum. aph.47. sec.4.

EXTENVATIO.

In quovis morbo partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes crassiores esse præstat: harum siquidem extenuatio & tabes mala, sed ad inferiores quoque purgationes parum tuta, aphor.35. sec.2.

Vide tabem, bilem etiam.

FACIES.

Bene colorata facies tetrica, ac superciliosa, perniciem intentat, 49. sec.2. l.1. præd.

Facies ex tumida depressa, ac vox levior ac remissior evadens, spiritus quoque rarior, ac levior, postera die remissionem fore de-

D

nunciat. 211. sec. 2. co.

Faciei corruptela lethalis est, minùs tamen si ob pervigilium aut inediam, aut alvi perturbationem contingat; nam quæ ex his causis orta est corruptelæ species; vna die aut nocte in integrum restituitur, hujusmodi autem faciei hæ notæ sunt, oculi concavi, nares acutæ, collapsa tempora, frigidæ aures contractæque, cutis dura, color pallidus, aut niger. Ad hæc quoque livescens palpebra, aut labrum, aut nasus mortem in propinquo esse significat, 213. s. 2. co.

Bene colorata facies cum sudoribus diffluentibus absque febre, vetusta stercora subesse, aut inordinatam victus rationem præ se fert, 214. sec. 2. co.

In morbis autem acutis imprimis quidem ægroti facies sit in consideratione adhibenda, sitne benevalentium præcipueque sui ipsius similis, ita enim optima existimanda, quæ verò ab eo plurimùm recedit, gravissimum periculum portendit. Qualis fuerit nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures frigidæ & contractæ, imisque suis fibris inversæ, cutis circa frontem dura, intenta & resiccata, & totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger, aut lividus, aut plumbeus. Itaque si per initia morbi ejusmodi facies fuerit, neque adhuc ex aliis signis conjicere potueris, interrogare convenit, num æger vigilaverit, aut alvus admodum liquida fuerit, aut eum inedia aliqua oppresserit. Quod si quid horum fateatur, minus formidandum esse existimandum. At si nihil horum præcessisse dixerit, neque intra prædictum tempus ad pristinum statum redierit, in propinquo mortem esse sciendum est. Si verò vetustiore jam morbo, aut triduo, aut quatriduo, talis facies extiterit, inquirenda ea sunt de quibus antea præcepi, tum ex corpre & oculis in considerationem adhibenda, ex l. præd.

FAVCES.

Quibus ad fauces irritamenta fiunt, iis moderata aurium tubercula excitantur, 264. sec. 2. coac.

Fauces leviter exasperatæ, & alvus inanibus exurrectionibus fatigata, frontis dolores in ægris palpitantibus & more investigantium sensim contrectantibus, aut dolore affectis, si quæ ex his increscunt, molestiam exhibent, 267. sec. 2. co.

Vbi fauces dolent, aut pustularum eruptiones oriuntur in corpore, excrementa inspicere oporret, nam si biliosa fuerint vnà corpus ægrotat: si verò sanorum excrementis similia tutò corpus alere poteris, aphor. 15. sec. 2.

Vide prægn.

FAMES.

Fame dominante vacandum est à labore, aph. 16. sec. 2.

Famem thorexis solvit, aph. 21. sect. 2.

FEBRES.

Febricitantium non omnino leviter corpus sibi constare, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum. Hoc siquidem virium inbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat, aph.28. sec.2.

Febricitantibus si sexto die rigores fiant, judicationem habent difficilem, aph.29. sec.4.

Æstivæ quartanæ, plerumque breves, autumnales longæ, & inter eas maximè quæ ad hyemem vsque pertinent, aph.25. sec.2.

Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, eadem si postero die repetat, judicatu difficilis esse solet, aph.30. sec.4.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos, & juxta maxillas potissimùm abscessus fiunt, aph.31. sec.4.

Febres quæ tertio quoque die vehementiùs affligentes non intermittunt, periculosiores: quoquo modo autem intermiserint, periculum abesse significant, aph.43. sec.4.

Tertiana exquisita septenis ad summum circuitibus terminatur, aph.59. sec.4.

Si febre ardente laboranti rigor superveniat, solutio fit, aph.57. sec.4.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reverti, aph.61. sec.4.

Quibus in febribus sexto die rigores repetunt, eodem die solvuntur, aph.63. s.4.

In febribus circa ventriculum vehemens æstus, & cordis morsus, malum, aph.65. s.4.

In acu-

In acutis febribus convulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum. aphor. 66. sect.4.

In febribus per somnum pavores aut convulsiones malum portendunt, aph.67. sec.4.

Convulsioni febrem accedere satius est, quàm febri convulsionem, aph.26. sect.2.

Qui quartana corripiuntur, non admodum convulsionibus tentantur; si verò priùs tentati fuerint, superveniente quartana liberantur, aph.70. sec.5.

Quibus in febribus ardentibus tremores, delirio solvuntur, aph.26. sec.6.

Si febris sit non ex bile orta, multa aqua calida capiti superfusa, febrem solvit, aph.42. sec.7.

In febre convulsio, manuúmque ac pedum dolores malignum quiddam prænunciant: malignus quoque ex femore doloris impetus, sed & neque genuum dolor probari potest: quin & surarum quoque dolores maligni sunt, ac mentis emotio, tum verò præcipuè, si sublime quid in urina innatet, 30. sect.2. l.2. co.

Ex præcordiorum dolore obortæ febres, malignæ sunt, in his profundus ac altus sopor pessimus, 31. sec.2. l.2. co.

Qui in febre non intermittente tenuiter & crebrò exudant, cum præcordiorum distentione, ii ut plurimum malignè habent, atque in iis dolores in humeri caput ac jugulum af-

fixi parvi sunt, 32. sec.2. l.2. co.

Febres quæ proximè ad tertianarum naturam accedunt cum incontinenti corporis mutatione, malignæ sunt, 33. sec.2. l.2. co.

In febre uiutum esse, malo est, 34. sec.2. l.2. co.

Febres ad tertianarum naturam accedentes, vagæ & errantes, ubi in dies pares transierint, molestiam exhibent, 37. sect.2. l.2. co.

In febribus alvo à flatibus distenta, flatum non erumpere, malum 44. sec.2. l.2. co.

Quibus, in febre ardente tumores cum somnolentia & torpore obveniunt, eos lateris dolor accedens cum levi partis alicujus syderatione necat, 60. sec.2. l.2. co.

Quibus cum febre lateris dolore accedente, alvus aquosa multa bile permixta transmittens alienationem adfert, deinde verò cibos aversantur, & sudoribus diffluunt, cum bene colorata facie, ac humescente alvo, & dolor aliquis oris ventriculi succedit, ii diutiùs morbum trahentes pulmonum vitiis laborantium more intereunt, 67. sec 2. l.2. co.

Iudicationis cessationes in febribus, temporis quidem longinquitatem, non tamen perniciem inducunt, 74. sec.2. l.2. co.

Ex vehementibus doloribus obortæ febres, diuturnæ, 75. sec.2. l.2. co.

Qui accessione correpti, postero die graviùs habent, iis malum denunciatur, 78. s. 2. l.2. co.

Quibus tertio die accessio subsistit & 4. ingravescit, malum denunciatur, ac metus est ne hujusmodi accessiones phrenitim inducant, 79. sec.2. l.2. co.

Febres si alio die quàm judicatorio desierint recidivam metuere oportet, 80. sect.2. l.2. co.

Qui circa initia tenuiter febricitantes, ad judicationem cum capitis pulsatione, & urina tenui ingravescunt, eos mentis emotione ac insuper pervigilio corrumpi, nihil mirandum est, 81. sec.2. l.2 co.

In anhelatoribus & suspirosis, febris postea acuta cum præcordiorum contensione perfrigeratis, magnum circa aures expectare tumorem oportet, 107. sec 2. l.2. co.

In pueris febris acuta cum alvi suppressione & pervigilio, calces veluti jactare, ac colorem mutare, & ruborem contrahere, convulsionem minatur, 109. sec.2. l.2. co.

Qui per accessiones tussiunt, & exudant, ii malignè habere judicandi sunt, sec.2. l.2. co.

Febres assiduæ, quæ 3. quoque die intenduntur, eæ periculum inducunt, 116. sect.2. l.2. co.

Si quibus aliquando febris intermiserit, periculum abesse significat, 117. sec.2. l.2. co.

In febribus longis, aut tubercula, aut ad articulos dolores proveniunt, quos neque tamen temerè fieri existimandum est. 118. sec. 2. l.2. co.

Febres lipyriæ, non nisi per choleram effusa bile solvuntur, 120. sec.2. l.2.co.

Qui in febribus tertianis ingravescunt dolores tertianarum naturam assumunt, & sanguinis grumos per secessum egerunt, 122.sec. 2. l.2. co.

In febribus, venæ quæ est in cervice pulsatio & dolorem ad intestinorum difficultatem inducit, 124. sec.2. l.2. co.

Si venæ temporum in febribus pulsant & facies bene habita fuerit, absque præcordiorum mollitie, longum fore sperare oportet, qui nec sine liberali sanguinis ex naribus profusione, aut singultu, aut convulsione, aut coxendicum dolore definet, 128.sec.2 l.2.co.

Alvus in febre ardente affatim prorumpens, mortis periculum adfert, 129. sec.2. l.2. co.

Febris ardens ex laborioso ventris dolore, perniciem minatur, 130. sec.2. co.

In febre ardente laborantibus, si aurium sonitus cum visus hebetudine & ad nares gravitate accesserit, nisi sanguis ex naribus profluat, furiosa & vehemens mentis emotio metuenda est, 131. sec.2. l.2. co.

In febribus ardentibus tremores, delirio solvuntur, 132. sec.2. l.2. co.

In febre ardente laborantibus cum aliqua corporis perfrictione, egestionibus aquæ similibus, & crebris, oculis periculum intenditur, tum verò præcipuè, si alto stupore, quem catochon vocant, detineantur, 134. sec.2. l. 2.co.

Febrem ardentem succedens rigor solvit, 135. sec.2. l.2. co.

Febres ardentes quæ recurrere solent, quatuor diebus de se significationem exhibent, deinde exudant in minus die 7. 11. 136. sec.2. l.2.co.

De febre ardente laborantibus dies 14. aut allevando, aut perimendo deveniunt, 1.7. s. 2. l.2. co.

Ex febre ardente, nisi qui circa autem sit abscessus suppuret, non admodum liberantur, 138. sec.2. l.2. co.

Quos febris detinet cum faciei rubore, & capitis vehementi dolore, in iis si venæ pulsent, sanguinis fluxus plerumque expectandus est; quos verò stomachi fastidia vexant, cum oris ventriculi morsu; & crebra sputatione, iis vomitio adfutura est: quibus autem ructus adsunt, flatus, ventus, sopitus cum inflatione, iis alvus exturbatur, 142. sec.2. l.2.co.

In febribus non intermittentibus, si partes externæ algeant, & internæ urantur, & sitiunt, lethale, aph.48. sec.4.

Quibus febris assidua diutiùs cum securitate trahitur, si neque ex dolore, neque ex inflammatione, neque ex alia ulla manifesta causa contingat, in iis abscessum cum dolore & tumore, præcipueque ad inferiores partes

sperare oportet: maximè autem in his expectare abscessus oportet, qui trigesimum annum superarunt: tum verò in his considerandi sunt abscessus, ubi febris vigesimum diem præterierit, majoribus autem natu minùs accidunt, etsi febres longo tempore detinent: quæ verò febres intermittunt incertoque ac vago ordine prehendunt, eæ autumno præcipuè in quartanam ferè transeunt, idque in his maximè qui trigesimum annum superarunt; per hyemem verò abscessus potiùs accidunt & tardiùs cessant, minúsque recurrunt, 143. sec.2. l.2. co.

Quæcunque febri ex adverso respondent, nisi abscessum faciant, malignitatem denunciant, 145. sec.2. l.2. co.

Febres quæ neque diebus criticis, neque post apparentes solutionis notas dimittunt, repetere solent, 146. sec.2. l.2. co.

In febribus ex glandularum tumoribus dolores, morbi diuturnitatem prænunciant, 73. sec.2. l.2. co.

Tertiana exacta 5. aut 7. ad summum nono circuitu terminatur, 148. sec 2. l.2. co.

Febricitare incipientibus, sanguinis stillationes cum sternutatione accedentes, & quod in urina desidet album 4. die visum, septimo solutionem afferre denunciat, 149. sec.2. l.2. co.

Qui per febres tenuiter exudant, cum capitis dolore, & alvo intercepta, ad convulsiones

siones proni sunt, 154. sec.2. l.2. co.

Qui per febres intermittentes, inæqualiter incalescentes, alvum habent flatibus distentam, pauca transmittentem, iis post judicationem lumborum dolore orto alvi prorumpunt; qui autem ad manus contactum exardescunt, torpore, siti, ac corporis incontinenti jactatione vexantur, ii alvo intercepta gravati exolvuntur. Interdum verò etiam præcubra in pedibus ambusta eadem denunciant, 158. sec.2. l.2. co.

Hybernæ quartanæ ferè in morbos acutos transeunt, 139. sec.2. l.2. co.

In febre acuta continens capitis dolor, cum gravibus aliis signis mortem minatur, quòd si neque alia præterea signa mala sunt, & viginti dies superat aut sanguinis ex naribus, aut puris effluxum, aut abscessus ad inferiores corporis partes denunciat, præcipuè quidem in his qui nondum 35. annum attigerunt, fluxiones, in senioribus verò abscessus sperare convenit: si verò dolor vehemens circa frontem ac tempora affligat, fluxiones expectandæ sunt, 160. sect.2. l.2. co.

Febrium initio si atra bilis sursum aut deorsum prodeat, lethale, 168. sec.2. co.

Ex præcipitibus morbis in febribus ardentibus maximè tubercula ad aures exoriuntur, ac nisi judicatoriè solvantur & maturescant, aut sanguis è naribus profluxerit, aut crassum sedimentum urina acceperit, ægros inter-

munt. Priùs verò hujusmodi tumores subsidunt ac conquiescunt, sed & insuper febres ipsas in considerationem adhibere convenit, num intendantur aut remittant, atque ita de tota re sententiam ferre. 207. sect. 2. l. 2. co.

Qui in febribus ad tactum nullum ardoris sensum præ se ferunt, phrenitici fiunt, idque magis si sanguis fluxerit, 228. se. 2. l. 2. co.

In febre cum sudore, vocis & capitis dolore, defectiones, si per se resolvuntur ægri, ac præter voluntatem excrementa demittantur, malumque remitti videantur, diuturni morbi metus est; in his subinde obortus rigor damnari non debet 253. sec. 2. l. 2. co.

Quibus ex rigore febris cum lassitudinis sensu adest, in his muliebrium profluuium expectare oportet. Quod si cervicis dolor prehenderit, sanguinis è naribus eruptionem fore spes est. 555. sec. 2. l. 2. co.

In febre ardente si tinnitus aurium cum visus hebetudine fiant, & ad nares accedat gravitatis sensus, furiosa mentis emotio indicatur, 18. sec. 2. præd.

Febres quæ soporem lassitudinémve, inducunt; aut in quibus caligant ægri, insomnia ac tenuibus sudoribus vexantur, malignæ sunt, 74. sect. 2. præd.

In febribus ardentibus cùm aliqua summi corporis perfrictione, ac egestionibus aquæ similibus, & crebris, oculorum perversio, & distensio, malum significat, tum verò præcipuè

cipuè (si alto quodam stupore quem catochon vocant) deprehensi detineantur, 81. sect. 2. præd.

Febribus & lassitudinis sensu detento, cum oculorum perversione, rigor perniciem minatur: atque in hujusmodi casibus soporari. malum denunciant, 89 sec. 2. l. 2. præd.

Præcordiorum dolores in febribus cum loquendi impotentia, si sudore non solvantur, maligni sunt: in his dolores ad coxendices cum ardente febre atque alvus affatim prorumpens, perniciem ostentant. 90. l. 1. se. 2. præd.

Quibus cum febribus voces post judicationem deficiunt, ii tremore & sopore correpti intereunt, 91. sec. 2. l. 2. præd.

In febre cum sudoribus, vocis & capitis dolore defectiones; si per se resolvantur ægri, ac præter voluntatem excrementa demittunt, malumque remitti videatur, diuturniorem morbum metuere oportet, in his novus subortus rigor damnandus non est, 49. sec. 2. l. 2. præd.

Febricitanti cum sudore sputa defluentia levia sunt & minimè maligna, in quibus videndum est num ad aliquos dies alvi madescant, quod equidem reor, animadvertendum quoque est num his ad articulos aliquid abscessurum speres, 128. sec. 2. l. 1. præd.

Quibus ex rigore febres adsunt, cum lassitudinis sensu in iis muliebrium profluvium

expectare oportet, quòd si cervicis dolor prehenderit, sanguinis è naribus eruptionem fore spes est, 142. sect.2. l.2. præd.

Si febres 3. quoque die vehementiores fiant nec intermittant, periculosæ: quoquo modo autem intermiserint, periculo vacare significatur, aph.62. sec.7.

Quibus febres longæ, his tubercula in articulis aut labores fiunt, aph.63. sec.7.

In febribus non intermittentibus, si externa frigeant, interna vrantur, & febris adsit, est mortiferum, aph.72. sec.7.

In febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertatur, si non videat, si non audiat, quidquid horum ægro debili acciderit, in propinquo mors, aph.73. sec.7. candem repetit sententiam 49. sec.4.

Quibus per febres circa dentes lentor quidam obnascitur, iis vehementiores sunt febres, aph.53. sec.4.

Quibus per febres aures obsurduerint, iis sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus, solvit morbum, aph.60. sec.4.

Quibus febres cessant neque apparentibus signis solutionis, neque diebus judicatoriis, iis recidiva expectanda est: in longa febre, salutariter tamen affecto ægro, si neque ob inflammationem aliquam neque ob vllam aliam evidentem occasionem dolor detinet, in hoc abscessus cum tumore, aut dolore ad articu-

articulum aliquem expectandus maximéque in inferioribus locis: magis tamen & breviori tempore contingere solent hujusmodi abscessus iis qui trigesimum annum non attigerunt, at statim in considerationem adhibenda sunt quæ ad abscessum spectant, si vltra 20. diem febris detinet, quæ tamen per longiores febres senioribus minùs contingunt: hujusmodi autem abscessum expectare convenit si febris continua fuerit, in quartana verò firmari debere; vbi intermiserit & errabundum in modum prehendit, & ita ad autumnum deducatur. Vt verò abscessus oriuntur in his qui triginta annis minores sunt, ita quartanæ potiùs annum agentibus trigesimum, aut senioribus. Scire autem convenit abscessus hyeme magis contingere, & tardiùs desinere, & minùs intrò recurrere; si quis in febre non lethali dixerit caput dolere, aut tenebricosum quiddam ante oculos obversari, si etiam oris ventriculi morsus accesserit, biliosa vomitio aderit: quod si quoque rigor subortus fuerit, & inferiores præcordiorum partes frigidas habuerit, adhuc citiùs vomitio aderit. Si verò sub id tempus biberit quidpiam aut ederit, id quàm celerrimè evomitur. Inter hos autem quibus 1. die dolor cœpit. 11. 4. & 5. die potissimùm affliguntur, at 7. liberantur; quin etiam eorum plerique 3. die dolore vexari incipiunt, conflictantur autem maximè 5. ve-

rùm 9. aut 11. periculo defunguntur. Qui verò 5. die dolore affligi cœperint, & reliqua pro ratione prioribus respondeant, ad 14. diem judicatur morbus. Ista autem viris quidem & mulieribus, in tertianis præcipuè contingunt. Junioribus verò cùm in ipsis, tùm etiam magis in febribus perassiduis & legitimis tertianis. At quibus per hujusmodi febrem caput dolet, & pro tenebris ante oculos apparentibus visus hebetudo contingit, vibrantésque splendores obversari videntur, & pro oris ventriculi morsu, in præcordiis dextra aut sinistra parte contentio quædam, neque cum dolore, neque cum inflammatione suboritur, iis pro vomitu sanguinem è naribus profluxurum expectandum est, potiùs tamen eo casu in juvenibus sanguinis fluorem expectato: iis verò qui 30 annum attingunt & senioribus minùs, & in his vomitiones expectabis. Pueris convulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, si venter non dejiciat, si vigilent, perterreantur, plorent assiduè & color immutetur, & ex viridi pallidus, aut lividus aut rubor contrahatur. Hæc autem pueris quidem recens natis ad septimum annum vsque promptissimè adveniunt. At grandiores pueri & viri non adeò per febres convulsionibus prehenduntur, nisi vehementissimum & pessimum quoddam signum, ex his quæ in phrenitide fieri solent affuerit. Morituros autem & superfuturos

tum

tum pueros, tum alios ex omnibus signis conjicies, velut in singulis singula descripta sunt, qui verò superfuturos ex morbo, & morituros, eósque quibus pluribus diebus & quibus paucioribus perseverabit morbus, rectè prænoscere volet vires, excrementa & conditionem morborum vulgariter grassantium considerare debet, pag. 56. sec. 2. prænotio.

Febres acutas cum mentis perturbatione, in oris ventriculi dolore non bilioso, insania solvit, 550. sec. 2. l. 2. co.

In febribus ex glandularum tumoribus dolores, morbi diuturnitatem prænuntiant, 73. sec. 2. l. 2. co.

Vide crisim, convulsionem, lumborum dolores, tubercula, hæmorrhagiam, excrementa, hypochondria.

FISTVLA.

Ex fistulis maximè molestiam adferunt, quæ in cartilaginosis aut carne vacuis locis fieri solent, cava sunt, & longiùs excurrunt, assiduéque manant, & in quarum osculo caruncula inest: faciliùs autem curantur, quæ in mollibus & carnosis locis, & non nervosis oriuntur, 511. sec. 2. l. 2. co.

FLATVS.

Flatum verò absque crepitu aut sono emitti, inter optima signa est; præstat tamen cum strepitu prodire quàm illic revolvi: quanquam hoc pacto prodiens dolorem & deli-

rium denunciat, nisi sua sponte id æger fecerit & flatum emiserit, 465. sec.2. l.2.co.

Vide excrementa.

FLVXIO.

In vterum gerentibus salsuginosæ ad fauces fluxiones malum denunciant, 537. sec.1. l.2. co.

Prægnantibus fluxiones cum serpentibus oris vlceribus, malo sunt, hæ convulsionibus, exolutionibus, postea perfrictionibus tentatæ celeriter calefiunt, 519. sec.2. l.2. co.

FRIGIDVM.

Caput, pedes, manus esse frigidas, ventre & lateribus calentibus, mali morbi signum est, optimum verò totum corpus, æquè calidum & molle esse, 492. sec.2. l.2. co.

Si per sanitatem hyemis tempore lumborum frigiditas & gravitas levi ex occasione orta sit, & alvi suppressio, superiore ventre probè officio suo fungente, coxendicum, vel renum dolor, urinæ stillatio fortè expectanda est, 487. sec.2. l.2. co.

Frigidum verò convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles adfert, aph. 17. sec.5.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorso, medullæ; calidum verò amicum, aph.18. sec.5.

Quæ perfrigerata sunt excalefacere oportet, præterea quæ sanguinem profundunt, aut brevi sunt profusura, aph.19. sec.5.

Fri-

Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, convulsiones & tetanos creat. aph.20. sec.5.

Frigido verò his vtendum, vnde fluit, aut fluxurus est sanguis, non quidem eodem loco, sed ad ea loca vnde influit admoto: & si quæ partium inflammationes aut deflagrationes ad rubrum sanguineúmve colorem tendunt recenti efflorescente sanguine, iisdem ipsis adhibito, nam inveteratus nigrefacit. Erysipelas etiam non vlceratum juvat: siquidem exulceratum lædit. aph.23. sec.5.

FRIGIDA.

Frigida veluti nix & glacies pectori inimica, tusses movent, venarum ruptiones & distillationes efficiunt, aph.14. sec.5.

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum, aph.1. sect.7.

Vide calidum & calorem.

GENERANDI IMPOTENTIA.

Quæ frigidos & densos locos habent, uterò non concipiunt, & quæ præhumidos habent, gravidari nequeunt: extinguitur enim in ipsis genitura, & quæ ficciores & æstuosos: nam alimenti defectu, semen corrumpitur, quæ verò ex utraque oppositione moderatam nactæ sunt locorum temperationem, cæ fœcunditate valent, aph.62. sec.5.

Par est de maribus ratio, aut enim propter corporis raritatem spiritus foras dissipatur,

ita ut genituram ejaculari nequeant : aut propter densitatem humor foras non prosilit; aut propter frigiditatē non incenditur : ut eo loci coacervari possit : aut propter caliditatem hoc idem ipsum usu venit, aph.63. sec.5.

GIBBI.

Qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, statim moriuntur, aph.46. sec.6.

GINGIVÆ.

Sanguis ex gingivis cum humecta alvo profluens, perniciem minatur, 241. sect.2. l.2.co.

Vide excrementum.

GRAVIDA.

Mares dextra uteri parte, fœminæ sinistra magis gestantur, aph 48, sec.5.

Mulier gravida si marem gerit, coloratior est; si fœminam, discolor, aph.42. sec.5.

Vterum gerentibus præcordiorum dolor malum denunciat, his etiam alvi euntes & rigore subinde corripi, malo est. Ventris dolor si limosa expurget, in hujusmodi levius malum indicat, quæ ex his faciles partus habent, eæ postea vehementer anguntur, 525. sec.2. l.2.co.

Quibus prægnantibus tabi opportunis faciei rubor exoritur, hunc distillationes è naribus antevertunt, 524. sec.2. l.2. co.

In uterum gerentibus capitis dolores cum sopore & gravitate malo sunt; forteque hujusmo-

jusmodi naturæ unà etiam convulsionibus quibusdam sunt obnoxiæ, 534. sec.2. l.2. co.

Prægnantibus fluxiones cum serpentibus oris ulceribus, malo sunt; hæ convulsionibus, exolutionibus, postea perfrictionibus tentaræ, celeriter calefiunt. Quin etiam prægnantibus molestiam, exhibent, qui circa tenue intestinum contingunt tumores, quales circa extremas uteri osculi oras, in recta cervicis spirationis difficultate detentis, eveniunt, quin etiam fortassis hujusmodi tumores, gemellorum partum prænunciant, aut fortè convulsiones, tumores hujusmodi indicant. 539. sec.2. l.2. co.

Vide dolores capitis, & fluxiones, prægnantem.

GRAVITAS.

Ægrum quoque facilè converti oportet, & dum surgit levem esse; at gravitas quæ totum corpus, vel manus ac pedes premit, vitiosa est. Quòd si cum gravitate digiti quoque ac ungues lividi fiant, in propinquo mors est. at si omnino nigrescant minùs quam lieventes, periculum portendunt; verùm tunc reliqua consideranda sunt, etenim si facilè morbum sustinet æger, & aliud quiddam ex his quæ securitatem pollicentur se prodit, morbus in abscessum vergit, & denigratæ corporis partes decidunt, 493. sec.2. l.2.co.

Vide jacere.

HÆMORRAGIA.

Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si siticulosi sint, neque sanguinem profuderint, comitiali morbo pereunt, 345. sec.2. l.2. coac. idem repetit 131. lib.2. sec.2. prædict.

Vbi sanguis ex naribus effluxit, totius corporis perfrictio cum tenuibus sudoribus, morbi malignitatem denunciat, 342. sec.2. l. 2. co. idem repetit, 126. l.1. sec.2. prædict.

Sanguinis è naribus stillationes, quæ undecimo die contingunt, molestiam afferunt, tum verò præsertim si bis sanguis stillarit, aut sursus nares stillare cœperint, 337. sec.2. l.2. coac. idem repetit, 148. l.1. prædict.

In copiosa sanguinis fluxione aut singultus aut convulsio, malum denunciat, 339. sec. 2. l.2. co.

Diuturnis in morbis parvæ apparentes sanguinis è naribus fluxiones, perniciem ostentant. 341. sec.2. l.2. co.

Qui suppressa alvo sanguinem ex naribus fundunt, & unà cum sanguinis profluvio subinde rigent, iis alvus instinorum lævitate laborat & adurescit, aut tenues lumbrici ascarides dicti infestant aut utrumque, 344. sec.2. l.2. coac. idem repetit, 138. lib.1. prædict. sec.2.

Largæ sanguinis ex naribus eruptiones per vim suppressæ interdum convulsiones accersunt, unde liberat venæ sectio 336. sec.2. l. 2. co.

Qui-

Quibus cum surditate, & torpore, paucus è naribus sanguis stillat, nonnihil molestiæ exhibet, iis vomitus & alvi perturbatio confert, 335. sect.2. l.2. coac.

Quæ magnæ sunt in principiis sanguinis eruptiones, dum ægri vires recolligunt, alvos effundunt 335. sec.2. l.2. coac.

Ex sanguinis eruptionibus, vehementes die judicatoria obvenientes perfrictiones, pessimæ. 326. coac. idem repetit, 134. l.1. sec. 2. prædict.

Sanguinis ex parte adversa profluvium malum est, velut si in lienis tumore ex dextra nare effluat, & circa præcordia idem spectari oportere existimandum est, 327. sec.2. l.2. coac.

Qui ex vulnere subinde rigentes sanguinẽ profundunt, ii malignè habent, ac inter loquendum derepente moriuntur, 328. sec.2. l. 2. coac. idem repetit, 18. l.1. præd. sec.2.

Quibus quinto die liberales sanguinis profusiones contingunt, & sexto novo oborto rigore corripiuntur, septimo perfrictionibus tentati celeriter recalescunt, iis alvi malè afficiuntur, 325. sec.2. l.2. coac.

Quibus sanguinis eruptiones perseverant, in iis temporis progressu alvus malè afficitur, nisi urina concocta prodierit, ac fortassis tale aliquid urina diluta denunciat, 332. sec.2. l.2. co.

Mulieri menstruis præter naturam desi-

cientibus ſanguis è naribus profluens bono eſt, aph.33. ſect.5.

Sanguinis è naribus fluxus, in febre ardente 4. die obveniens, malo eſt, niſi aliud quidpiam bene ceciderit, quòd ſi die 5. contingat, minùs adfert periculi, 133. ſec.2. l.2. coac.

Quibus per febres ſanguis aliunde effluxerit largiter, iis dum ſeſe recolligunt, alvi humeſcentes effunduntur, 153. ſec.2. l.2. coac.

Quæ ex parte adverſa & præpoſterè fiunt ſanguinis eruptiones, malo ſunt, velut in lienis tumore, ſi ex nare dextra effluat. Quod circa præcordia eodem modò ſe habere expectandum eſt. Majus autem malum denunciatur, ſi cum tenui circa frontom ſudore iſtud contingat, 125. l.1. ſec.2. præd.

Quibus ſanguinis fluxus diu perſeveraverit, in his temporis proceſſu alvus malè habet, niſi vrinæ concoctionem præ ſe ferant, 133. l.1. ſec.2. præd.

Quibus pauca ſanguinis è naribus ſtillatio cum ſurditate & torpore obveniens, moleſtiam quandam exhibet, iis vomitio, & alvi perturbatio confert, 141. ſec.2. l.1. præd.

Larga, vehemens & multa ſanguinis è naribus eruptio, interdum ad convulſiones deducit, ex quo venæ ſectio liberat, 145. l.1. præd.

Liberalium ab initio ſanguinis eruptionum curſum rigor ſiſtit, 150. ſec.2. l.2.

Quibus

Quibus per febres ſanguinis vndecumque eruperit copia, convaleſcentibus ventres humectantur, aph.27. ſec.4.

A forti in vlceribus pulſu, hæmorrhagia malum, aph.21. ſec.7.

Vide alvum, criſim, deſipientiam, dolorem capitis & lumborum febres & excrementa.

HÆMORRHOIDES.

Melelancholicis, & nephriticis, hæmorrhoides ſupervenientes bono ſunt, aph.11. ſec.6.

Diuturnas curanti hæmorrhoidas niſi vna quæpiam ſervetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet, aph.12. ſect.6.

Vide colorem, melancholiam, ſopores & hydropes.

HERPES.

Vide ætatem.

HORROR.

Crebri ex dorſo horrores ſubinde locum commutantes graves ſunt & difficiles. Laborioſam quippe vrinæ ſuppreſſionem minantur, his tenuiter exudare peſſimum, 8. ſec.2. l.2. co.

A ſudore horror non bonum, aph.4. ſec.7.

Qui ſubinde inhorreſcunt, ex capite laborantes, tenuiter exudantes, ii malignè habent, 12. ſec.2. l.2. co.

Qui ſubinde inhorreſcunt, ſæpe tenui ſudore corripiuntur, difficili morbo laborant,

E

13. sect.2. l.2. coac.

Qui per sanitatem crebrò inhorrescunt, ii ex sanguinis fluxu purulenti evadunt, 16. s.2. l.2. co.

Vbi horror in malis subinde incidit cum difficultate spirandi, tabes denunciatur, 17. s. 2. l.2. co.

Qui subinde inhorrescunt, ac incontinenti corporis jactatione, cum lassitudinis sensu & lumborum dolore conflictantur, iis alvi effunduntur, 19. sec.2. l.2. co.

Quibus vbi inhorruerint, judicatorij simul sudores contingunt, postridie verò si horror repetierit & temerè pervigilent, iis fortè sanguinem erupturum sperare oportet, 24. sect.2. l.2. co.

Horror, anxietudo, oscitatio, vinum pari aquæ portione epotum solvit, aph.56. sec.7.

Horroris & lassitudinis sensus, capitis gravitas cum cervicis dolore, muliebres purgationes dejiciunt, quòd si quid hujusmodi circa judicationem cum tussicula contingit, subinde rigorem adfert, 548. sec.2. l.2.co.

Vide febres lassitudinem.

HVMIDA CORPORA.

Corporibus humida carne præditis præferenda fames est: nam fames siccat corpora, aph.59. sec.7.

HVMERI.

Vide dolores humerorum.

HYEMS.

HYEMS.

Vide tempus.

HYSTERICA PASSIO.

In mulieribus, quæ uteri suffocationibus tentantur, idque sine febre, faciles convulsiones, quale quid etiam Dorcadi contigit. 554. l.2. sec.2.co.

Mulieres quæ ab utero promptè strangulantur, idque sine febre, in convulsiones propensæ sunt, 119. l.1. præd.

Mulieri hystericæ, aut difficulter parienti, sternutamentum superveniens, bonum, aph. 35. sec.5.

Vide convulsionem.

HYDROPS.

Aqua inter cutem quæ ex acuto morbo cœpit, molestiam ac perniciem adfert. Oritur verò ferè & à laterum inanitate, vel à jecore, sed vbi à laterum inanitate ortum contraxit, pedum tumor, & alvi diuturnus fluor consequitur, qui neque ventrem emollit, neque lumborum auxilium tumorem solvit, at quibus è jecore aqua inter cutem proficiscitur, ii promptè etiam tussi vexantur, pedes intumescunt, & alvus non nisi dura & ægrè perdit, tumoresque modò dextra, modò sinistra parte oriuntur, ac rursus desinunt, 452. sec.2. l.2. co.

In hydrope sicca vrina stillatim effluens malum denunciat, mala quoque est quæ exigua habet sedimenta, 453. sec.2. lib.2. co.

Hydropicis ſuccedentes morbi comitialis offenſiones, perniciem adferunt, pravis invicem ſuccedentibus ſignis; & alvos humectant, 454. ſec.2. l.2. co.

Aqua inter cutem laboranti cum febre vrina pauca, & conturbata, perniciem denotat, 456. ſec.2. l.2. co.

Aquæ inter cutem initio aquoſum alvi profluvium abſque cruditate exortum, morbum ſolvit, 457. ſec.2. l.2. co.

Vbi hydrops ſiccus de ſe ſignificationem præbet, tormina ad tenue inteſtinum incumbentia malum denunciant, 458. ſec.2. l.2. co.

Ex aqua inter cutem morbus comitialis perniciem adfert, 459. ſec.2. l.2. co.

Aqua inter cutem quæ curationi ceſſit, vbi recurrit, ſpem tollit, 460. ſec.2. l.2. co.

Aqua inter cutem laboranti, aqua quæ in venis eſt, ad alvum erumpente ſolvitur morbus, 461. ſec.2. l.2. co.

Quos ex aliqua ægritudine hydrops circumvenit, iis alvi reſiccatæ caprinis ſtercoribus ſimilia dejiciunt, cum mucoſa eliquatione, neque laudabili vrina, præcordiorum autem diſtentiones, ventris dolores ac tumores, & circa laterum inanitates ac ſpinæ muſculos dolores incidunt, febres quoque, ſitis & tuſſes ſiccæ comitantur, & ad motiones ſpirandi moleſtia; & crurum grauitas cibos etiam averſantur, pauciſque ſumptis explentur, 481. ſec.2. l.2. co.

Aqu

Aquæ inter cutem vitio, cui leucophlegmatias nomen eſt, laborantes, alvi profluvium ſedat, animi abjectiones cum ſilentio & ab hominibus ſolitudines ferè eos conficiunt, 482. ſec.2. l.2. co.

Hydrope detentis, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſoluitur morbus, aph. 14. ſec.6.

Quicunque empyi, aut hydropici, vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, omnino moriuntur, aph.27. ſec.6.

Hydropicis, tuſſis ſi ſuperveniat, malum, aph.35. ſec.6.

Quibus jecur aqua refertum eruperit in omentum, his venter aqua expletur atque moriuntur, aph 55. ſec.7.

Qui aqua inter cutem detentus eſt, & ſervari volet, eum robuſtis viſceribus & contentis viribus eſſe convenit, ſimulque ſuapte natura facilè concoquere, ac bene ſpirare, ſine dolore eſſe, totumque corpus æqualiter calere, neque extremis partibus eſſe colliquefactum. Præſtat namque potius extrema tumefacta eſſe, etſi optimum eſt nihil horum adeſſe. Verum tum mollia, tum gracilia, extrema eſſe oportet, ventrem contactu mollem. At neque tuſſim neque ſitim adeſſe convenit, neque linguam, cùm alias tum ne à ſomno quidem, quod admodum fieri aſſolet, inareſcere, cibos autem ſuavitèr aſſumere, ac vbi quis abundè comederit, ni-

hil affligi. Ventrem quoque medicamentis quidem celeriter moveri, aliàs verò mollia & figurata excernere, vrinam in transitu, pro instituta victus ratione, & vinorum mutatione, mutationem sentire. Defatigationem facilè sustinere nec lassitudinem sentire, atque sic quidem in totum hominem se gerere optimum, vt quàm securissimè convalescat. Sin minùs, horum vt plurima habeat, sic enim spem fore vt evadat, in quo verò nihil horum inest, sed contraria subsequuntur, in eo spem tolli animadvertendum est. Et cui ex his quæ in aqua inter cutem laborante probavimus, pauca affuerint, parum relictum esse spei: at ne in his cui multus sanguis suprà infraque proruperit, prætereaque febris accesserit, aqua impleatur, magnus metus est: & huius generis aqua intercus brevissimi est temporis & inter inevitabiles numeranda; idque alteri denunciare oportet. Quibus autem tumores magni suborti desinunt, rursusque assurgunt, hi potiùs supersunt quàm qui ex sanguinis eruptione complentur. Fallunt tamen ægros hujusmodi hydropes, cùm eos relictis medicis in exitium præcipitent, pag. 95. lib. 1. sect. 2. præd.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa supervenerit, morbum solvit, aph. 29. sec. 7.

Si hydropicum tussis habeat, desperatus est, aphor. 47. sect. 7.

Aqua inter cutem quæ ex acutis morbis oritur, mala; nam neque febris liberat, vehementesque dolores excitat, & lethalis est. Oritur autem ferè ex laterum inanitate, & lumbis partiumque ex jecore; quibus igitur ex laterum inanitate & lumbis initia ducuntur, iis pedes intumescunt, & longa alvi profluvia detinent, quæ neque dolores ex laterum inanitate ac lumbis tollunt, neque ventrem molliorem efficiunt. At quibus à jecore aqua inter cutem ortum ducit, his tussis, & tussiendi cupiditas adest. Sed nihil effatu dignum expuunt, pedesque intumescunt, ac venter non nisi dura ægreque egerit, & circa alvum tumores fiunt, qui partim dextra, partim sinistra parte oriuntur, & desinunt. Caput autem & manus, & pedes frigere, ventre, & lateribus calentibus, malum denunciat. At corpus totum æqualiter calidum esse, ac molle, optimum, ægrum quoque facilè converti oportet, & cùm sese attollit levem esse, quòd si gravis esse videatur, cum reliquo corpore, tum manibus & pedibus, maiori cum periculo est, præter gravitatem verò si vngues, & digiti livescant, mors confestim expectanda est. At omninò nigri tum digiti, tum pedes, minùs quàm liventes perniciosi sunt: sed alia quoque signa in considerationem adhibenda: etenim si facilè malum ferri videatur, & præter hæc

aliud quoddam ex salutaribus signis adfuerit, morbum ad abscessum converti sperandum, ita vt æger quidem morbo superesse, & partes corporis denigratæ decidere debeant. Testes autem & pudenda vbi sursum contrahuntur vehementes, dolores & mortis periculum denunciant, 47. prænot.

Albæ pituitæ aqua intercus supervenit, aph.74.sec.7.

Qui aqua inter cutem detentus est, & servari volet, eum robustis visceribus & contentis viribus esse convenit, simulque suapte natura facilè concoquere, ac bene spirare, sine dolore esse, totumque corpus æqualiter calere, neque extremis partibus esse colliquatum. Præstat namque extrema potius tumefacta esse, etsi optimum est nihil horum adesse. Verùm tum mollia, tum gracilia extrema esse oportet, ventrem contactu mollem. At neque tussim neque sitim adesse convenit, neque linguam, cùm alias, tum ne à somno quidem, quod admodum fieri assolet, inarescere, cibos autem suaviter assumere, at vbi quis abundè comederit, nihil affligi. Ventrem quoque medicamentis quidem celeriter moveri, aliàs verò mollia & figurata excernere, vrinam in transitu pro instituta victus ratione, & vinorum mutatione mutationem sentire, defatigationem facilè sustinere, nec lassitudinem sentire, atque sic quidem in totum hominem se gerere optimum

timum, vt quàm securissimè convalescat. Sin minùs horum vt plurima habeat, sic enim spem fore vt evadat. In quo verò nihil horum inest, sed contraria subsequuntur, in eo spem tolli animadvertendum est, & cui ex his quæ in aqua inter cutem laborante probavimus, pauca affuerint, parum relictum est spei. At ne in his quibus multus sanguis supra infraque præruperit, prætereaque febris accesserit, aqua impletur, magnus metus est, & huius generis aqua intercus brevissimi est temporis, & inter inevitabiles numeranda, idque alteri denunciare oportet: quibus autem tumores magni suborti desinunt, rursusque assurgunt, hi potiùs supersunt quàm qui ex sanguinis eruptione complentur: tollunt tamen ægros hujusmodi hydropes cùm eos relictis medicis in exitium præcipitent, 96. præn.

HYPOCHONDRIA
seu præcordia.

Præcordia in tumorem sublata, omnibus quidem mala sunt; præsertim verò his, qui ex longo intervallo tabidi existunt, 442. s. 2. l. 2. co.

Ex his qui cum pernicie consumpti sunt, nonnulli ante mortem subinde rigoribus corripiuntur, 443. sec. 2. l. 2. co.

Præcordia optima quidem quæ dolore vacant, mollia sunt & æqualia, tum dextra, tum sinistra parte, incensa verò, aut dolentia,

aut intenta, aut inæqualiter affecta dextra parte ad sinistram, hæc omnia animadvertenda sunt. Quòd si etiam pulsus in præcordiis insint, perturbationem aut delirium indicant. Verùm etiam eorum oculos intueri oportet: si namque oculi crebrò moveantur, insania expectanda est. At tumor in præcordiis durus & dolens, pessimus quidem ubi tota præcordia occuparit, sin verò altera parte sit, minori cum periculo sinistra, hujusmodi autem tumores circa principia quidem mortem brevi tempore significant. Quòd si neque intra vigesimum diem febris quiescat, neque tumor subsidat, ad suppurationem res vertitur: his autem primo circuitu etiam sanguinis è naribus fluxus contingit, valdéque juvat: verùm eos interrogare oportet, num capite doleant, aut obtusam oculorum faciem sentiant. Quòd si quid ex his accidat, eo rem tendere sciendum, in junioribus tamen neque dum 35. annum attingentibus sanguinis eruptio magis expectanda est. Molles autem tumores & doloris expertes digitisque cedentes, longiores indicationes faciunt, illisque minus graves sunt. Quod si intra dies sexaginta, neque febris cesset, neque tumor subsidat, fore suppurationem hoc loco, & reliquo ventre eodem modo significat. Itaque tumores dolentes, duri & magni, periculum mortis intra paucos dies affore significant. Molles verò & minimè dolentes quique

quique digito pressi cedunt, illis diuturniores esse solent, ac ventris tumores minùs abscedere nati sunt, quàm qui in præcordiis oriuntur, minimè verò qui infra umbilicum in pus vertuntur, sed ex superioribus locis sanguinis eruptio magis expectanda est. Longorum verò omnium in his regionibus tumorum suppurationes in considerationem adhibendæ. Suppurationum autem quæ inde proveniunt, ea observatio facienda est, quæ quidem foràs vertuntur, optimæ sunt, ubi parvæ sunt. At quàm maximè foràs feruntur, & in acutum tendunt, at pessimæ verò quæ magnæ sunt, & latæ minimeque in mucronem attolluntur, quæ intrò erumpuntur optimæ, ubi nihil cum externa sede communicant, in sese contrahuntur, nullo dolore afficiunt, totaque regio externa unius coloris apparet, pus verò optimum est album & æquale & læve & quàm minimùm graveolens: huic autem contrarium pessimum pus, 47. sec. 2. præn.

Ex alvi suppressione sublata præcordia, malum denunciant; præcipuè verò in his, qui ex longo intervallo contabescunt, & quibus alvi humectantur, 301. sec. 2. l. 2, coac.

Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum superveniente dolore, alvus humectatur, nisi infernè flatus erumpant, aut urinæ multitudo prodeat, atque hæc in febribus, aph. 73. sec. 4.

Præcordia verò sine ullo doloris sensu æqualiter mollia esse oportet, at inflammatione tentata, aut inæqualiter affecta, aut dolore vexata, non contemnendæ ægritudinis notas præ se ferunt, 279. sec.2.l.2.coac.

Præcordia verò tumida, dura ac dolentia, si in universum sint affecta, maximum quidem malum portendunt; si verò altera parte duntaxat, ex sinistra minùs periculum impendet, cæterùm per exordia quidem mortem prope adfore ista denunciant, ubi verò 20. diem superarint, & febris detinuerit, in pus vertuntur, atque intrà primum circuitum istud contingit, ac sanguis è naribus fluxus plurimum conducit, etenim plerumque his caput dolet, & oculorum acies hebescit; atque tunc sanguinis eruptio magis expectari debet, idque circa quintum & trigesimum ætatis annum. In senioribus verò non item, 280. sec.2..l.2.co.

Præcordia sublata subsistente alvo, malum denunciant; præcipuè verò in his qui ex longo intervallo contabescunt, & quibus alvi defluunt, 287. sec.2.l.2.co.

Quibus præcordia inflammatione tentantur & pus colligunt, ii sub mortem nigra dejiciunt, 288. sec.2.l.2.co.

Præcordiorum contentio cum sopore & incontinenti corporis jactatione, capitis dolore vexato, tubercula ad aures excitat, 289. lib.2. sec.2.co.

Præcordia

Præcordia non mollia & facies bene habita non nisi liberali sanguinis ex naribus profluvio, aut convulsione, aut coxendicum dolore solutionem accipiunt, 296. sec.2. l.1. co.

Ex præcordiorum tumore, biliosis spiratio magna & febris acuta, tubercula ad aures suscitat, 290. sec.2. co.

In præcordiis ex longo intervallo afflictis & gravolente alvo, subnatum ad aures tuberculum mortem adfert, 292.

In præcordiorum dolore cum aliquo murmure, succedens lumborum dolor in febribus, alvos plerumque humectat, nisi flatus eruperit, aut urinæ copia prodierit, 291.

Quos derepente absque febre præcordiorum aut oris ventriculi dolor, aut crurum, & inferiorum partium affligit, alvúsque intumescit, venæ sectio, aut alvi fluxus solutionem adfert, iis febricitare noxium est. Nam & longæ & vehementes febres subnascuntur, ac tusses, & spirandi difficultas atque singultus fiunt. Quibus in solutionem spectantibus, vehemens coxarum dolor, aut crurum, aut purulenta sputatio, aut oculorum orbitas succedit, 294. sec.2. co.

Quibus ardore conflictatis, fatuitate & alto stupore (quem catochō dicunt) detentis, præcordia variant, & in contrarias subinde affectiones transmutantur, ac venter in tumorem præter naturam sublatus est cum ci-

borum interceptione, & tenui circa caput oborto sudore: in his animadvertendum est, num sit concitatus & magnus spiritus, aut geniturae similis excretio accidat, singultum praenuntiet, aut etiam ex alvo spumantia proditura sint; eos splendens quiddam aut coruscans per urinam redditum juvat, alvus verò in his etiam commovetur, 92. sec.2. l.1.praed.

Praecordiorum contentio cum capitis gravitate & surditate, ad haec quae oculorum aciem perturbant, sanguinis eruptionem naribus praenunciant, 147. sec.2. l.2.

IACERE.

Optimus ille quidem jacentis habitus, quem sanus aliquis usurpare consuevit. Supinum verò jacere cruribus porrectis, probari non potest. Idque deterius ubi subinde deorsum ad pedes prolabitur. Exitiosum est ubi hiat, aut assiduè dormit. Aut ubi supinus jacet cruribus vehementer contractis ac reductis. Pronum autem jacere ei qui non consuevit, delirium ac circa ventrem dolores portendit. Quòd si pedes & manus nudat, neque vehemens calor ei subest, & crura dispergit, mali morbi signum est, angorem namque portendit. Vbi verò residere vult aeger, malum quidem indicium in acutis morbis, sed longè pessimum in pulmonum, & laterum affectibus. Noctu dormiendum, interdiu vigilandum, contrà verò malum, minimum

mum autem offendit. Si quis matutino tempore ad tertiam diei partem dormiat, qui vero ab hoc tempore somnus est, malus. Pessimò ab hoc tempore somnus est, malus. Pessimum tamen est si somnus neque noctu neque interdiu accedit, id enim ob dolorem laboremque accidit, vel delirium fore significatur, 497. sec.2. l.2. co.

Aegrum à medico in latus dextrum aut sinistrum recumbentem deprehendi oportet, manibúsque & cervice, ac cruribus paululum reductis, totoque corpore molliter posito. Hic enim ferè jacentis est habitus. Is autem habetur optimus decubitus, qui bene valentium similis est. Supinum verò jacere, manibus, cervice & cruribus porrectis, minùs bonum. Quod si pronus ad pedes de lecto delabatur, magis formidandum. Vbi verò pedes nudos, neque admodum calidos habere comperitur, & manus, cervicem, & crura inaequaliter dispersa & nuda, malum. Anxietatem enim indicat. Lethale quoque & hianti ore assiduè dormire, & ubi supinus jacet cruribus valde contortis & implexis. At in ventrem jacere ei qui per bonam valetudinem ita dormire minimè consuevit, delirium, aut partium circa ventrem dolorem indicat. Aegrum verò residere velle in ipso morbi impetu, pravum quidem in omnibus morbis acutis & pulmonum inflammatione laborantibus, pessimum, ex l.praen.

IACTATIO.

Corporis jactationes, & incontinentiæ cum perfrictione, pessimæ, 2. sec.2.l.2. co.

In præcipitibus malis corporis motio, jactatio, ac turbulentus somnus, nonnullis convulsionem portendit, 82. sec.2. l.2. co.

Corporis jactationes & incontinentiæ in febre cum perfrictione & superiorum partium tenui sudore, phrenitim denuntiant (quod in Aristagora compertum est) atque etiam perniciem. 27. sec.2. præn.

Considerandum est in æstuabundis & corporis jactatione citra vomitum, & lumborum dolorem, conflictatis ægris, si audacter desipuerint, num nigra per secessum proditura sint, 85. l.1.præd.

Qui in somniis vexantur cum subita corporis jactatione & inquietudine, iis sanguinem erupturum spetare oportet, idque præsertim si non antea quid profluxerit. Animadvertendum verò num id post horroris sensum contingat, 136. sect.2. præd.

Corporis æstuatione & inquieta jactatione conflictati, citra vomitum ingravescentes malè habent, atque etiam qui vellicantur citra vomitum, 557. sec.2. l.7. co.

Vide febres.

ICTERVS.

Quibus per febres morbus regius supervenerit ante diem septimum, malum, aph.62. sec.4.

Quibus

Quibus per febres morbus regius die 7. aut 9. aut 11. aut 14. supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioquin minimè bonum, aph.64.sec.4.

Regio morbo laborantibus jecur durum fieri, malum, aph. 42. sec.6.

Morbus regius si ante diem 7. accesserit, malum significat, 7. autem 9. 11. ac 14. judicationem adfert, dum præcordia non indurescunt. Quod si secus contingat, res in dubium vertitur, 121. sec.. l.2.co.

In morbo regio affectis, nec admodum sentientibus, quibus singultus adest, iis alvus effunditur, fortè verò etiam supprimitur, atque hi cum virore pallescunt. 490. sec.2. l.2. co.

In spirituosis & anhelatoribus morbo regio laborantibus & febre acuta, cum præcordiorum duritie & tumore, si corporis summa prefrigerentur, magnorum circa aures abscessuum exortum fortassis expectare oportet, 164. sec.2. l.2. præd.

Vide morbum, colorem.

IECVR.

Quibus purulentum jecur aduritur, si purum pus effluxerit & album, salvi fiunt. In tunica enim ipsius pus continetur, si verò qualis amurca profluat, intereunt, aph.45. sec.7.

Quibus jecur vehementer dolet, iis febris superveniens solvit dolorem, aph.52. sec.7.

Vide dolores jecoris.

ILEVS.

Quibus à ſtranguria ileus ſupervenerit, intra 7. diem moriuntur, niſi febre ſuperveniente copioſa urina fluxerit, aph. 44. ſc. 6.

Ab ileo vomitus & ſingultus, & deſipientia, & convulſio, malum, aph. 10. ſec. 7.

INSANIA.

Ex inſania, in raucedinem cum tuſſi fit ſucceſſio, 44. ſec. 2. l. 2. co.

Inſanientibus accedens convulſio oculorum aciem retundit, 485. ſec. 2. l. 2. co.

Vehementes mentis emotiones ſilentes, abſque quiete, oculis quoquoverſum intuentes, ſpiritum efflantes, perniciem minantur, diuturnas verò faciunt partium reſolutionès. Quin etiam vehementer inſaniunt hoc modo affecti. Quibus autem cum ventris perturbatione hujuſmodi affectus ingraveſcunt, iis nigra per alvum ad judicationem prodeunt, 486. ſec. 2. l. 2. co.

Deſipientiæ cum voce ſtridula & linguæ convulſione tremula, voces quoque ipſæ tremulæ mentis vehementem alienationem ſignificant, in his durities aut aſperitas perniciem minatur, 19. ſec. 2. præd. idem repetit, 99. ſe. 2. co.

Deſipientiæ quæ circa neceſſaria fiunt, peſſimæ, & quæ in his ingraveſcunt, exitium portendunt, 98. ſec. 2. co.

Vehementi inſania detenti, tremuli, cum crebra ſputatione, metus eſt ne phrenitici evadant, 94. ſec. 2. co.

Deſipientiæ quæ jam admodum fractis & debilitatis viribus ſuccedunt, peſſimæ ſunt, non ſecus ac Thraſynonti, 8. l. 1. præd.

Dementiæ in quibus tremuli fiunt ægri, obſcurè aut vix quidem deſipere videntur, aut aliquid inveſtigantium more ſenſim contrectant & palpant, miro quodam modo phrenitim prænunciant, non ſecus ac Didymarcho Coo contigit, 34. ſect. 2. l. 2. præd.

Quæ præter vacuationem fiunt impotentiæ, neque vacuatione exiſtente, perniciem intentant, 40. l. 1. præd.

Vide deſipientiam, & delirium, dolores capitis, phrenitim.

INSOMNIA.

Qui inſomniis vexantur cum ſubita corporis jactatione & inquietudine, iis ſanguinem è naribus erupturum ſperare oportet: iiſque præſertim ſi quid antea profluxerit, animadvertendum verò num in modice perfrigeratis id poſt horroris ſenſum contingat, 111. ſec. 2. l. 2. co.

INTESTINA.

In tenuibus inteſtinis ſi quod diſſectum fuerit, non coaleſcit. 503. ſec. 2. l. 2. co.

In tenuioris inteſtini morbis graveolentibus, cum febre acuta, & ex longo intervallo tumeſcentibus præcordiis, qui ad aures

oboriuntur abscessus, mortem afferunt, 158. lib.1. præd.

IMPETIGINES.

Impetigines, lepræ, albicantesque vitiligines, si juvenibus quidem aut pueris horum aliquid contingat, aut sensim prodiens, diuturnitate temporis augetur: in iis quidem eæ pustulæ abscessus esse minimè existimandæ sunt, sed morbi. At quibus ex his aliquid subitò multumque contingit, id certè abscessus dici possit. Oriuntur autem albicantes vitiligines, & maximè quidem lethalibus morbis, velut quæ tabes dicitur. Lepræ verò & impetigines ex his qui ab atra bile fiunt. Ex quibus quæ valde juvenibus contingunt, & recentissima quæque sunt, & faciliùs curationem recipiunt, tum quæ in summè mollibus & carnosis corporis partibus nascuntur, in fine lib.2. præd.

IVVENTVS.

Vt traducenda juventute liberalis & speciosa corporis magnitudo, ita senecturi gravis & parvitate deterior, aph.54. sec.2.

Quibus alvus est humida juventam quidam agunt faciliùs quàm qui eandem siccam habent, sed senectute difficilius defunguntur. In ipsis siquidem senescentibus ferè resiccatur, aph.53. sec.2.

LABOR.

Vide consueta.

LABRVM.

Contractum labrum biliosæ alvi perruptionem denunciat, 240. sect.2. l.2. co.

Vide oculum.

LAC.

Si neque prægnans neque puerpera est, & lac habeat, ei menstrua defecerunt, aph.39. sect 5.

Mulieri partum gerenti si lac è mammis copiosè fluat, fœtum imbecillum significat: si verò firmæ solidæque mammæ fuerint, valentiorem conceptum indicant, aph.52. sect.5.

Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata, aut murmurantia, & siticulosis, malum; malum item quibus biliosæ dejectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis vacuatio facta est. Convenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus, & febribus longis & languidis, si nullum ex supra dictis signis adsit, & præter rationem extenuatis, aph.64. sect.5.

LACRYMÆ.

Vide oculos.

LATVS.

Quibus latus in tumorem sublatum est ac calidius existit, vbi in alterum latus incumbentibus, pondus quoddam suspensum esse videtur, iis pus vna in parte collectum est, 428. sec.2. l.2.

Vide dolorem lateris, pleuritidem.

LASSITVDO.

Spontaneæ lassitudines, morbos prænunciant, aph.5. sec.2.

Lassitudine laborantes cum horrore, judicii modò leviter exudantes, celeriter ad calorem revocati, malè habent; tum verò præsertim si ista insuper sanguinem è naribus stillarint. Circa hæc aurugine admodum fœdati, & largiùs colorati moriuntur, iisque album alvi recrementum prodit, 36. sect. 2. l.2. co.

Lassitudine conflictati ægri singultuosi & alto stupore (quem catochum vocant) detenti, malè habere significatur, 45. sec.2. co.

Delassati ægri caligine obducti pervigiles, & sopore detenti, cum tenui sudore recalescentes, malè habent, 35. sec.2. co.

Vide gravitatem, febres.

LETHARGVS.

Qui lethargo aut veterno conflictantur, & manibus tremunt somnolenti, malè colorati, tumidi, pulsus habent tardos & lentos, ac oculorum genas inferiores sublatas, sudores superveniunt, alvique subtumescunt, impotentes sunt, ac biliosa effundunt. Quòd si resiccatæ fuerint vrinæ alvique recrementa clam prodeunt, vrinæ quales in veternoso genere redduntur, neque potum, neque aliud quicquam postulant. Mentis verò compotes facti, de cervicis dolore conqueruntur, ac incertos sonitus per aures impetu ferri sentiunt. 139. sec.2. l.2. co.

Qui verò ex lethargo evadunt, magna ex parte pus intrò colligunt. 140. sec.2. l.2. coac.

LIEN.

Quibus lienes magni, iis gingivæ vitiantur, & os graveolet. Quibus autem lienes magni, neque sanguinis eruptiones contingunt, neque os graveolet, in tibiis ii mala vlcera habent, & nigras cicatrices, quòd si manifestus quispiam adfuerit faciei abscessus, aut vox gravis sit, aut dentium dolor, iis sanguinis eruptionem ex naribus fore spes est. At qui partes eas quæ subsunt oculis vehementer sublatas habent, magnos habere lienes comperies. Quod si pedum quoque tumores adsint, ex aqua etiam laborare videbuntur. Sed & ventrem & lumbos præter hæc inspicere oportet, 109. l.2. sec.2. prædict.

Vide dysenteriam.

LIENOSVS.

Vide lienteriam.

LIENTERIA.

Lævitates autem intestinorum, assiduæ quidem & multo tempore perseverantes, ac omnibus horis & cum strepitu & sine hoc exturbatæ, & similiter noctu & interdiu affligentes, si quod excernitur valde crudum est, aut nigrum, & læve ac mali odoris, eæ quidem omnes malæ sunt. Nam & sitim exhibent, neque potionem per vrinam red-

dunt, quod in vesicam non descendat, os exulcerant, & elatum faciei ruborem, ejusque cutis vitia omni colorum genere distincta (nephelidas vocant) excitant simulque ventrem quasi fermentatum, sordidum, ac rugosum, efficiunt, ex quibus aut cibum capere, aut deambulare, ad res obeundas, nequeunt. Morbus hic seniores gravissimè infestat, quin & viros vehementer affligit, cæteras verò ætates multo minùs. At qui eas ætates quas ab hoc morbo malè affici diximus, non attingit, & paucissima signa habet quæ mala esse scripta sunt, is securissimè constitutus est. Curationem autem postulat hic morbus, quoad & vrina pro potionis modulo feratur, corpusque cibos ingestos sentiat & vitiosum cutis dolorem deponat 105. l.2. sec.2. co.

Dysenteriam, aqua intercutem aut intestinorum lævitas excipit, & moriuntur, aph. 43. sec.6.

In intestinorum lævitate laborantibus, cum sævissimis vlceribus, dolores ex intestinorum cruciatu soluti, articulorum partes attollunt, ac ex hujusmodi tenues squamæ cum rubore & pustulis fiunt. Ii post multos ac tenues sudores, velut acceptis ex flagris vicibus, rubescunt, 467. sec. coac.

Intestinorum levitates cum spirandi difficultate, & pectoris morsu, ad tabem tendunt, 469. sec.2. co.

Lon-

Longis intestinorum lævitatibus laborantes, vna cum sævissimis vlceribus, intestinorum cruciatu, & dolore, iis solutis intumescunt. His insuper exortus rigor, malo est, 468. sec.2. co.

In diuturna lævitate intestinorum si ructus acidus superveniat, qui priùs non extiterit, bonum est signum, aph.1. sec.6.

Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis supervenientem longam dysenteriam, aqua intercutem aut intestinorum lævitas excipit, & moriuntur, aph.43. sec.6.

Lienosis difficultas intestinorum superveniens bono est. aph.48 sec.6.

Vide excrementa, hydropem, alvum, tenesmum, dysenteriam.

LINGVA.

Lingua circa initia quidem horrida, in eodem verò colore perseverans, procedente verno tempore, vbi exasperatur, livescit, finditur; mortem denunciat, quòd si admodum pigrescat, 14. die judicationem promittit: periculi autem maximè plena est nigra ex virore pallescens, 229. sec.2. l.2. co.

Linguæ bisulcum velut saliva alba obductum, febris remissionem indicat, eo quidem quod agnotum est crasso existente, eodem die, si verò tenuis fuerit postridie, perinde quoque si adhuc tenuis fuerit, eadem etiam significatio est, si hæc circa summam lingua contingant, minùs tamen firma, 230.

F

sect. 2. l. 2. coac.

Lingua tremula cum narium rubore & alvo humecta, si reliqua quæ sunt circa pulmonem nullam indicationis significationem præ se ferant, malo est, ac celeres perniciosas purgationes denunciat. 231. sectione 2. libro 2. coac.

Lingua præter rationem mollis reddita, ac nauseabunda, cum sudore frigido, ab alvo liquida, nigræ vomitionis significationem affert, in iis lassitudinis sensus malum denunciat. 232. sec. 2. l. 2. co.

Linguæ tremulæ quibusdam etiam alvum humectam nonnunquam reddunt. In his autem si nigricent, etiam mortem denunciant, ac fortassis lingua tremula instabilem mentem, & à sede constantiæ deturbatam significat, 233. sec. 2. l. 2. co.

Linguæ densæ & peraridæ, phrenitidem portendunt, 214. s. 2. l. 2. co.

Lingua tremula nonnullis proruptæ alvi significationem præbet, 645. sec. 2. l. 2. co.

Lingua ex resiccatione densa & aspera, phrenitidem portendit, 2. l. 1. præd. sec. 2.

Linguæ tremulæ instabilem mentem & à sede constantiæ deturbatam significant, 20. l. 1. præd. sec. 2.

Si derepente lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita stupeat, signum est melancholiæ, aph. 40. sec. 7.

Vide pleuritidem & pulmones, convulsionem, vocem.

LIPOTHYMIA.

Qui sæpe & vehementer sine causa manifesta animo linquuntur, ii derepente moriuntur, aph. 41. sec. 2.

LIPPITVDO.

Lippitudine affecto suborta febris solutionem affert, sin minus cæcitatis, aut mortis, aut etiam vtriusque metus est, 222. sect. 2. l. 2. co.

Quibus cum lippitudine capitis dolor accedit, & longo tempore perseverat, cæcitatis metus impendet, 223. sec. 2. l. 2. co.

Lippitudine laborantem sponte alvus profluens juvat, 224. sec. 2. l. 2. co.

Vide febres, oculos.

LIVOR.

Vbi livores in febre fiunt, propè affore mors significatur. 66. sec. 2. l. 2. co.

Propter os ægrotans caro livide, malum, aph. 2. sec. 7.

Vide gravitatem.

LOCHIA.

Vide concipere.

MAMMÆ.

Quibus in mammis sanguis colligitur, furorem significat. aph. 40. sec. 5.

Vide aborsum, concipere, dolores mammarum.

MANVS.

De manuum motione ita censeo. In febribus acutis, aut pulmonum inflammatio-

nibus, aut phrenitide, aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur, & aliquid fruſtra venantur, & feſtucas colligunt, aut floccos è veſtibus evellunt, & ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mortem portendi, pag. 45. lib. præno.

MARES.

Vide gravidam.

MAXILLÆ.

Vide convulſionem.

MEDICVS.

Operæpretium mihi facturus medicus videtur, ſi ad providentiam ſibi comparandam omne ſtudium adhibeat: cùm namque præſenſerit & prædixerit apud ægros, tum præſentia, tum præterita, tum futura, quæque ægri omittunt expoſuerit, res vtique ægrotantum magis agnoſcere credetur, adeò vt majore cum fiducia ſeſe homines medico committere audeant. Curandi verò rationem optimè molietur, ſi ex præſentibus affectionibus futura prænoverit. Neque enim fieri poteſt vt omnes ægroti ſanitatem aſſequantur: Hoc verò longè præſtantius foret quàm futurorum conſecutionem prænoſcere. Quandoquidem verò quidam vi morbi intereunt priuſquam medicum accerſant, quidam etiam vocato medico confeſtim partim quidam vnum diem, partim etiam paulò diutiùs vitam trahentes mortui ſint, priuſquam arte ſua ſingulis morbis viriliter ſe op-

ponere poſſit. Proinde vbi talium affectionum naturam quantum ſcilicet vires corporis ſuperant, cognoverit, ſimulque & ſi quid divini in morbis ineſt, hujus quoque providentiam ediſcere oportet. Hac enim ratione meritò ſibi admirationem, & boni medici exiſtimationem conciliaverit. Qui namque morbo ſuperiores eſſe poſſunt, eos vtique longè rectiùs conſervaverit, ex longo antea intervallo ad ſingula conſilium dirigens, tum etiam morituros, tum evaſuros vbi prænoverit & prædixerit, extra culpam poſitus erit. In morbis autem acutis in primis quidem ægroti facies conſideranda ſitne bene valentium, præcipueque ſui ipſius ſimilis; ita enim optima exiſtimanda, quæ verò ab eo plurimum recedit, graviſſimum periculum portendit. Initio prænot.

MELANCHOLIA.

Quæ ſenſim fiunt mentis emotiones, in vehementes & melancholicas evadunt. Quod ſi ex muliebrium ſuppreſſione accidat, in ferinos tendunt, qualia ſæpius contingunt. Videndum igitur num fœminæ hujuſmodi convulſionibus ſint obnoxiæ, animadvertendum quin etiam eſt, num vocis defectiones cum alto ſopore convulſionem quoque minentur, quales Cerdonis filiæ comparentibus muliebribus purgationibus contingere cœpit, 123 l. 1. præd.

Si metus atque mœſtitia longo tempore

perseverent, melancholicum est signum, aph. 23. sect. 6.

Insanis si varices vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio fit, aph. 21. sec. 6.

Ab insania, quam Maniam Græci vocant, difficultas intestinorum aut hydrops aut ecstasis, bonum, aph. 5. sec. 7.

MELICERIDA.

Vide coxendicum morbos, & dolores coxæ.

MENSES.

Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam, aph. 36. sec. 5.

Mulieri si placeat menstrua sistere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone, aph. 50. sec. 5.

Si muliebri profluvio convulsio, aut animi defectus, superveniat, malo est, aph. 56. sec. 5.

Ex purgamentis muliebribus ad pedes & lumbos pertingentes tensiones, suppurationes indicant, & viscosa graveolentia ex alvo cum dolore prodeuntia, ex præscriptis quoque suffocationes, suppurationes denunciant, 527. sec. 27. co.

Menstruis abundantibus morbi eveniunt, & subsidentibus accidunt ab vtero morbi, 57. sect. 5.

Si prægnanti purgationes menstruæ cursum

suum teneant, bene valere fœtum est impossibile, aph. 60. sec. 5.

In muliebribus purgamentis quæ ante partus aquosa prodeunt, malum denunciant, 513. sec. 2. l. 2. co.

Muliebria purgamenta non subsistere vtile, ac fortè ex talibus comitiales morbi oriuntur, partim verò diuturnæ alvi subductiones, partim etiam sanguinis per ora venarum profluvium, 521. sec. 2. l. 2. co.

Quibus ex muliebribus purgamentis dolores intensi ad superiorem ventris partem & tenue intestinum excitati alvos humectant, & levem anxietatem inducunt, hi ad judicationes in somnum propensiores fiunt, & impotentes ex capitis dolore cum tenuibus sudoribus, & perfrictionibus vexantur. Hujusmodi recidivæ plurimis post remissionem obortæ, celeriter interimunt, 518. sec. 2. l. 2. co.

Quibus à partu alba prodeunt, & his subsistentibus surditas cum febre & lateris dolor acutus excitatur, eæ in vehementem & perniciosam mentis emotionem incidunt, 525. sec. 2. l. 2. co. Idem habet sent. 80. l. 1. præd.

Prægnantibus salsuginosa post partum, molestias ex albis mordacibus denunciant. Purgationes hujusmodi duritiem afferunt. In his singultus malo est, & vterum procidentia quæ & vnà interficit, 526. sec. 2. l. 2. co.

Quæ ex partu & aborsu copiosa celeriter cum impetu feruntur, si subsistant molestiam exhibent, hujusmodi mulicbribus rigor inimicus est & alvi perturbatio, præcipuè verò si præcordiorum dolore vexentur, 516. sec.2. l.2.co.

Horrore subinde tentatis, lassitudine & capitis gravitate conflictatis, muliebres purgationes erumpunt, 541. sec.2. l.2. co.

Vide convulsionem, concipere, prægnantes, partum, gravidam.

MORBI.

Sed neque ante pubertatem occupant hi morbi, pulmonum inflammationes, laterum dolores, podagræ, renum vitia, varix in tibia, fluor sanguineus, cancer non innatus, albicans vitiligo non cognata, defluxio in spinalem medullam, sanguinis per ora venarum profluvium, tenuioris intestini morbus (quem χορδαψὸν vocant) non à natura insitus. Horum morborum nullus ante pubertatem metuendus est, ab anno autem 14. ad 42. vsque natura omnis generis morborum corporis ferax est. Contrà verò ab hac ætate ad annum 60. neque strumæ fiunt, neque vesicæ calculus, nisi antea occupet, neque in spinalem medullam defluxio, neque renum morbus, nisi ex alia ætate sequantur, neque sanguinis per ora venarum profluvium, neque fluor sanguineus, nisi priùs adfuerit. Atque hi morbi ad senectutem vsque absunt, 512. sect.2. coac.

Vide ætatem.

In gravibus & præcipitibus malis distorqueri velut qui vomitione conflictantur, malum est, quin & albæ alvi egestiones molestæ sunt. Quæ ex iis prodeunt non viscosa, in vehementem mentis emotionem cum multo ardore agunt, videndumque est, num postea soporati ac torpescentes evadant qui ex his conflictantur, diutius laborant. In his considerandum est, num imminente judicatione arescentes, difficultate expirandi tententur. 117. sec.2. præd.

Quilibet in quibusvis temporibus morbi fieri possunt: nonnulli tamen in quibusdam magis tum fiunt tum irritantur, aph.19.sec.3.

Pueris maximam partem morbi judicantur, alii intra dies 40. nonnulli intra menses 7. aliis ipsis etiam ad pubertatem accedentibus; qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis cum menstrua erumpunt, soluti fuerint, inveterascere consueverunt, aph.28. s.3.

Iuvenibus sanguinis eruptiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ aliique morbi, sed præcipuè nunc dicti, aph.29 sec.3.

Vltra hanc ætatem provecti, asthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alvi profluvia choleræ, dysenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides, aph.30. sec.3.

Morbi alii ad alia tempora bene vel malè se habent, & quædam ætates ad tempora alia, & loca & aliud victus genus, aph 3. sec.3.

Circa initia & finem morborum remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora, aph. 30. sec.2.

Vide tempus, æstatem, medicum, febres, sudores, acutum.

MORBVS REGIVS.

Vide icterum.

MORSVS VENTRICVLI.

Vide excrementum.

MVTATIO.

Celeres summitatum corporis in vtraque extrema permutationes, perniciem denunciant. Quin & situs hujusmodi (hoc est celeriter in contraria permutata, malo est, 50. sec.2. l.2. co. Idem repetit, 43. l.1. præd.

Vbi toto corpore mutatio, & corpus refrigeratur vicissimque calefit, aut colorem alium ex alio mutat, morbi significatur longitudo, aph.60. sec.7.

Vide calorem.

MVTVS.

Vide febres.

NATVRA.

Vide tempus.

NARES.

Narium rubores, alvi liquidæ & diffluentis sunt indicia, 215. sec.2. l.2. co.

NER-

NERVVS.

Præcisus nervus, aut quod in vena est tenue, aut præputium non coalescit, 504. sec. 2. coac.

Nervi quicunque crassi vulnus accipiunt, vt plurimùm claudos reddunt, præcipueque si obliquum vulnus fuerit ac in musculorum capitibus, præsertim femorum, 508. sec.2.co.

NOMÆ.

Nomæ verò maximè sunt lethales, quæ putredines altissimè descendentes habent, suntque nigerrimæ & siccissimæ. Vitiosæ quoque & in periculum præcipitant, quæ saniem nigram reddunt. At albæ & mucosæ putredines, mortem quidem afferunt minus, sed potiùs recidivas faciunt & eo diutius perseverant. Herpetes autem ex his quæ depascendo serpunt, minus habent periculi. At secundum abditos cancros difficilius tolluntur. At his omnibus febrem vno die succedere confert, & pus quam maximè candidum & crassum. Prodest quoque in altè conditis & nigris putredinibus, nervi syderatio, aut ossis, aut amborum, pus enim multum in syderationibus effluit & putredines liberat, ex l.2. præd.

NYCTALOPIA.

Quos nyctalopas nuncupamus, qui noctu cernunt, hi morbo præhenduntur juvenes aut pueri, aut etiam adolescentes, & sponte evadunt, partim quidem 40. die, partim ve-

rò 7. mense, quibusdam etiam toto anno perseverat, & tempus quidem æstimari debet, & magnitudinis morbi, & ægri ætatis ratatione adhibita. Hos juvant quidem supervenientes abscessus & ad internas partes tendentes, qui tamen per juventutem non admodum contingunt. At neque mulieres, neque virgines, quibus menses apparent, hoc morbo tentantur. Qui verò ex diuturno lachrymarum fluxu nyctalopes fiunt, eos interrogare oportet, num quis dolor ante istorum indicationem occupaverit, l. 2. præd.

OCVLI.

Quibus in febribus aut aliis morbis voluntariè illachrymant oculi, absurdum non est, quibus verò præter voluntatem, absurdius, aph. 52. sect. 4.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio solvit, aph. 31. sec. 6.

Dolores oculorum post meracis vini potum & aquæ calentis balneum, venæ sectione curato, aph. 46. sec. 7.

Oculorum claritas, ac eorum album ex nigro aut livido clarum fieri, ad judicationem confert. At quo clariùs clarescunt, eo celeriorem judicationem, ac tardiùs tardiorem significat, 217. sec. 2. l. 2. co.

In febre ortus oculorum rubor, diuturnam alvi malignitatem præ se fert, 219. sec. 2. co.

Caligi-

Caligine obducti oculi aut eorum album rubescens, aut livescens, aut nigris venis refertum, nihil probi præ se fert. Malum quoque est lucem refugere aut illachrymari, aut perverti, atque ex his alterum minorem esse perniciem denunciat, & oculos crebro deficere, gramiis ac parvas sordes ipsis adhærescere, avi albescentem humorem concretum & tenuem (ægida nominant) habere, aut eorum album augeri, nigrum autem imminui, aut nigrum à superiore palpebra contegi. Vitiosa quoque est oculorum cavitas, & vehemens oculi foràs expressio, ac splendoris elisio, adeò vt pupilla extendi nequeat, & cilia retorta, ac fixi oculi & continenter conniventes, coloris immutatio, aut palpebras per somnum non committere, perniciem ostentat, quin & distortus oculus malo est, 218. sec. 2. l. 2. co.

Quibus dum convelluntur oculi fixi & immoti splendent, iis mens è sede constantiæ deturbatur, & diutiùs morbum trahunt, 124. sec. 2. l. 1. præd.

Erumpentes circa oculos eminentiæ, dum ægri ex morbo recreantur, prorumpentis alvi spem faciunt, 220. sec. 2. l. 2. co.

Oculi hebescentes & obtusi, concreti ac caligantes malum portendunt, 225. sect. 2. l. 2. co.

Cum oculorum perversione, febribus & lassitudinis sensu detento rigor perniciem

minatur. Atque in hujusmodi casibus sopo- rari, malum denunciant, 121. sec.2. l.2. co.

Oculorum hebetatio cum animi defectione, promptam convulsionem denunciat. 206. sec.2. l.2. co.

In præcipiti malo rectus oculorum obtutus ac motus pernicitas, somnus turbulentus, pervigilium interdumque sanguinis è naribus stillationes nihil boni denunciant, 227. sec.2. l.2. co.

Oculorum caligines crebris apparentibus mensibus, solvuntur, 552. sec.2. l.2. co.

Hebescentes oculi & obtusi improbandi sunt. Quin & fixi ac caligine obducti malum portendunt, 146. sec.2. lib.1. præd.

Cervicis dolor, oculi prærubri, sanguinis eruptionem prænunciant, 137. sec. 2. lib.1. præd.

In præcipitibus malis oculi obseratio, aut perfrictio, malo est, 184. sec.2. l.1. præd.

Oculi si lucem refugiunt, aut illachrymant præter voluntatem, aut pervertuntur, aut alter ex his minor fiat, aut quæ in iis alba esse debent rubescunt, aut in iisdem venulæ livescunt, aut nigricant, aut lippientium oculorum sordes circa eorum aciem appareant aut etiam assiduè mobiles, aut tumidi, aut vehementer cavi fuerint, aut eorum aspectus squalidus & minimè lucidus, aut totius faciei color immutatus, hæc omnia mala perniciosaque existimanda. Quia etiam

iam per somnum, an ex oculis aliquid subappareat spectare oportet. Vbi namque non commissis palpebris ex albo quid subappareat, id, si neque alvi profluvium neque medicamentum purgans expressit, neque ita dormire consueverit æger, pravum est indicium & lethale admodum. Quod si pervertatur aut corrugetur palpebra, aut livescat, aut pallescat, itemque labrum, aut nasus, cum alio aliquo signo, mortem in propinquo esse sciendum est, lethale quoque labra resoluta, pendentia, frigida, & exalbida, pag.2. prænot.

Oculi gramiosi optimum habent successum, si simul lachryma & gramia & tumor cœperint, aut si lachryma gramiæ permixta, neque vehementer calida fuerit, gramia verò alba & mollis, & tumor levis ac solutus. His etenim sic se habentibus noctu oculus conglutinabitur vt dolorem non sentiat, isque casus minimè periculosus, minimeque diuturnus fuerit At si lachryma multa & calida, cum paucissima gramia & exiguo tumore, idque ex altero oculo profluat, valde diuturnum id quidem, sed sine periculo fit, idque lippitudinis genus doloris expers est. Et in his præcipuè judicatio considerandа est, quæ prima quidem fit circa vigesimum diem. Quod tempus si superet, quadragesimus dies expectandus est, aut si neque in his desinit, in 60. diebus solvitur,

At toto tempore ad gramiam attentum esse oportet, num in digito misceatur, & alba ac mollis fiat, idque præcipuè sub judicationis tempus, tum namque vbi finitur, id evenire solet. Quod si hæc vtrumque oculum invaserunt, majus est vlcerum periculum; sed brevi solventur. Gramiæ autem siccæ vehementes dolores afferunt, brevi tamen solvuntur, nisi oculus vulnus acceperit, tumor verò magnus, doloris expers & siccus, sine periculo est. Quod si cum dolore est siccus quidem malus metusque est ne oculum exulceret ac palpebræ coëant, formidabilis quoque est, vbi cum lachryma conjunctum dolorem habet, nam si lachryma calida & salsa profluit, in pupilla & palpebris, exulcerationis periculum est. At si tumor quidem constiterit, lachryma verò diutiùs effunditur, & gramiæ tenent, viris quidem palpebrarum eversionem rectè prædixeris, at mulieribus & pueris exulcerationem & palpebrarum eversionem. Si verò gramiæ pallidæ aut lividæ fuerint, lachrymaque multa & calida, caput ardor occupet ex temporibus ad oculum dolor tendat, insomniaque his accesserit, vlcus in oculo factum esse necesse est; ac vt rumpatur metus est. Iuvat autem succedens febris, aut dolor in lumbos firmatus. His verò futurorum prædictionem rectè institues si & temporis & eorum quæ ex oculo fiunt rationem inieris, tum etiam

etiam gravissimorum dolorum, tum vigi-
liarum. Sed vbi oculum introspicere licet,
si quidem ruptum inveneris, & per rimam
pupilla extiterit, malum significat, nec faci-
lè restituitur. Quod si etiam putredo subsit,
nulli amplius est vsui. Reliqua verò vlce-
rum genera prædicere licet, & locorum pu-
tredines, & altitudines intuenti, pro vlce-
rum magnitudine cicatrices fieri necesse est,
quibus igitur rumpuntur oculi, posteaque
adeò extant vt pupilla loco mota esse videa-
tur, iis nec vllo tempore, neque arte vt vi-
deant opem ferre licet. At parvæ pupillarum
dimotiones restitui possunt, dum ne quid
mali accesserit, & juvenis sit æger. Vlcerum
verò cicatrices, si non aliud malum subsit,
omnes & à tempore & ab arte juvari posse
existimandæ sunt. Ac præcipuè quæ recen-
tissimè & in juvenum corporibus contractæ
sunt. Ex locis autem insignem facit noxiam
pupillæ acies, si exulceretur secundùm eam
id quod est supra supercilia, deinde verò quic-
quid his locis fuerit proximum, pupillæ quo-
que cæsium aut argenteum, aut ceruleum co-
lorem nactæ, improbandæ sunt. His ali-
quantulùm meliores existimandæ sunt quæ
aut minores, aut ampliores apparent, aut an-
gulos habent sive id ex manifesta causa, sive
sponte contingat. Caligines & nubeculæ, ac
subalbicantes cicatrices, ægides dictæ, exte-
runtur ac evanescunt, nisi eo in loco vulnus

aliquod subortum sit, aut illic antea cicatricem, aut vnguem esse contigerit. Quòd si in oculi nigro resplendens cicatrix orta sit, nigri aliquid dealbat, ita vt si diutiùs perseveret, & aspera & crassa, etiam vestigium aliquod postea relinquat. Iudicationes verò non secus ac in febribus scripsi, ita & hic se habent. Sed & observatis signis, pro genere quidem lippitudinum, prædictionem instituas licet, nempe diuturnas lippitudines fore, vbi pessima signa affuerint velut in singulis descriptum est. Breves verò vbi optima signa comparuerint, easque 7. die aut proximis diebus finiendas prædicere, ac alioqui in toto esse existimare oportet. Quibus autem levamentum adfuerit, si id neque judicatoriis diebus, neque cum bonis signis contingat, in iis recidivæ metuendæ sunt, imprimis verò in oculorum affectibus vrinæ status in considerationem adhibendus est. Occasio namque præceps est & lubrica, p.103. l.2. præd.

Vide convulsionem, dolorem capitis & lumborum, lien, lippitudinem, puerum.

OPHTHALMIA.

Ophthalmia laborantem alvi profluvio corripi bonum, aph.17. sec.6.

OMENTVM.

Quibus omentum procidit, ut putrescat necesse est, 502. sec.2. l.2. co.

OS.

Neque corporis os quodcunque resectum, neque cartilago augetur, 505. sec.2. l.2. co.

OS HIANS.

Vide jacere.

PALPITATIO.

Quos palpitationes in totum occupant plerumque voce defecti pereunt, 30. s.2. l.1. præd.

Quæ contingunt in febre circa ventrem palpitationes, mentis emotiones adferunt. Quin & sanguinis ex naribus profluvium cum horroris sensu interdum accidit, 298. sec. 2. l.2. co.

Quæ contingunt circa ventrem palpitationes cum præcordiorum contentione oblonga & intumescente, sanguinis profluvium è naribus denunciant, idque quandoque cum horroris sensu, 144. l.1. præd.

Vide cervicem.

PALLOR.

Vide colorem, concipere.

PALPEBRÆ.

Vide oculos, somnum.

PARTES.

Vide extenuationem.

PRÆCORDIA.

Vide hypochondria.

PRÆGNANS ET PARTVS.

Quæ ventrem ferunt, iis uteri os connivet, aph.51. sec.5.

Mulierem gravidam morbo quopiam acuto corripi perniciosum, aph. 31. sec. 5.

Mulieri in utero ferens secta vna abortit, eoque magis si sit fœtus grandior, aph. 30. sec. 5.

Quæ gestantes uterum febribus corripiuntur, aut vehementer sine evidenti causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur. aph. 55. sec. 5.

PVRGAMENTA.

Vide gravidas, menses, concipere.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibique fastidium accidat, prægnantem esse putato, aph. 61. sec. 5.

Spirationes suspirosæ quæ foràs educuntur, ac citra rationem facta colliquatio in uterum gerentibus, abortiones indicant. 519. sec. 2. l. 2. co. idem repetit 540.

Ventris dolor à partu, in his purulenta expurgat, 520. s. 2. l. 2. co.

Quæ torporis sensu afficiuntur, præcipuè quæ ad motiones impotentes & perfractæ, circa judicationem vexatæ, anxietate laborantes multo & tenui sudore diffluunt, in his alvus effusa malum denunciat, 521. sec. 2. l. 2. co.

Muliebria purgamenta non subsistere utile, ac fortè ex talibus comitiales morbi oriuntur, partim verò diuturnæ alvi subductiones, partim

partim etiam sanguinis per ora venarum profluvium, 522. sec. 2. l. 2. co.

Quæ ante partionem in modum choleræ morbi affliguntur, faciles quidem partus edunt. Febre autem tentatæ, malignè habent, tum verò præcipuè, si quid fauces vexet, aut in febre aliquid maligni appareat, 535. sec. 2. l. 2. coac.

Erumpentia ante partum aquosa, malo, 536. sec. 2. l. 2. co.

Ante partus subinde rigore corripi, & citra dolorem parere, periculum indicat, 538. sec. 2. l. 2. co.

Quæ ex partu & abortu copiosa celeriter cum impetu feruntur, si subsistant, molestiam exhibent. Hujusmodi mulieribus rigor inimicus est, & alvi perturbatio, præcipuè verò si dolore præcordiorum vexentur, 516. sec. 2. l. 2. co.

Quibus à partu alba prodeunt, & his subsistentibus, surditas cum febre, & lateris dolor acutus excitatur, eæ in vehementem & perniciosam mentis emotionem incidunt, 525. sec. 2. l. 2. co.

Prægnantibus salsuginosa post partum, molestias ex albis mordacibus denunciant. Purgationes hujusmodi duritiem adferunt. In his singultus malo est, & vterorum procidentia, quæ & vna interficit, 526. sec. 2. co.

Quæ ex partitionibus contingũt exolutiones cum torpore molestiam quidem exhi-

bent & menses movent, nullam tamen perniciem afferunt, verùm etiam purgamentorum muliebrium abundantiam denunciant, 546. sec.2. l.2. co.

Quæ gestantes vterum febribus corripiuntur, aut vehementer sine evidente causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur, aph.55. sec.5.

Si muliebri profluvio convulsio aut animi defectus superveniat, malo est, aph.56. sect.5.

PODAGRA.

At de his qui podagra tentantur ista nobis dicenda videntur; qui in senectute callos aut totos in articulis induratos habent, aut laboriosè vitam tolerant, cum alvo sicca, ii sanè omnes (vt sentio) humana arte sanari nequeunt. His certè succedentes difficultates intestinorum optimè medentur, quin & quæcunque aliæ colliquationes infernæ, eos valde juvant. Iuvenis v. cui tophi nondum circum articulos induruerunt, cuique victus ratio curæ est, ad laborem est impiger, alvumque habens vitæ instituto probè cedentem, is sanè prudentem nactus medicum, sanus evadet, ex lib.2. sec.2.præd.

Mulier podagra non laborat, nisi ipsam menstrua defecerint, aph.29. sec.6.

Puer podagra non laborat ante veneris vsum, aph.30. sec.6.

Dolores podagrici vere & autumno ferè moventur, aph.55. sec.6.

Vide eunuchum.

PVSTVLÆ.

Pustularum eruptiones velut summa cute leviter lacerata, aut vellicata, totius habitus tabem, & corruptionem denuntiant, 444. sec.2.l.2.co.

Quibus ad articulos prærubræ pustulæ superficiales enatæ sunt, ac subinde rigent, iis velut ex acceptis plagis cum dolore venter, & inguina rubescunt & pereunt, 489. sec.2. l.2. co.

Quibus per febres assiduas pustulæ toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid purulentum abscedat, in his verò præcipuè adnasci ad aures tubercula solent, 114. sec.2. l.2. co.

Latæ pustulæ non admodum pruriginosæ, aph.9. sec.6. Vide ætatem.

PRVRITVS.

Quibus inferiores partes malè afficiuntur, vehementibus pruritibus priùs obortis, iis vrina sabulosa fit, & subsistit. At qui perniciosè habent, iis mens obtorpescit, 488. sec.2. l.2. co.

In corporis perfrictione cum torporis sensu, sanguinis detractio mala est, 343. sec.2. l.2. co.

Quibus autem torpores & prurigines pungentes per caput, interdum quidem totum,

interdum etiam aliquam partem percurrunt, sæpius verò frigoris alicuius sensus caput pervagari videtur, ab iis sciscitari oportet, num etiam ad summam linguam pungens ille pruritus pertingat. Sic enim magnus morbus est, & qui ægrè solvatur, alioqui verò facilis. Auxilium autem consequuntur ex abscessibus, velut antea conscriptum est. Qui tamen his minùs quàm illis contingunt: mulieres autem pungentes prurigines, & atræ bilis vitia minùs quàm viri sentiunt, nisi menses penitus evanuerint, ex l. 2. sect. 2. prædic.

PVRGATIO.

Corpora quæcunque quis purgare volet, ea fluxilia facere oportet, aph. 9. sec. 2.

Si qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt, si contraria, difficulter, aph. 25. sec. 1. idem repetit, aph. 3. sec. 4.

In morbis acutis rarò & per initia medicamento purgante vtendum est. Idque diligenti cum præmeditatione facere oportet, aph. 24. sec. 1.

Concocta maturaque medicari ac movere non cruda: nec per initia, nisi suopte cieantur impetu, id quod perraro fieri solet, aph. 22. sec. 1.

Quæ decernuntur decretáve sunt justè, nec movere, nec alíud quicquam novare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis fiat, sed omittere, aph. 20. sec. 1.

Quæ

Quæ educere oportet, quoquo maximè vergere videbuntur, ducere, viis ac locis vtiliter eo ferentibus, 21. sec. 1.

Qui corporum salubritate sunt præditi, purgante hausto medicamine statim deficiunt, vt qui pravo alimento vtuntur, aph. 36. sect. 2.

Qui integra sunt corporis valetudine medicationes ægrè molesteque ferunt, aph. 37. sec. 2.

Prægnantes purgabis, si materia vrgeat quadrimestres, & vsque ad 7. mensem, sed has parciùs, minore verò & grandiore conceptu, cautiùs religiosiusque agendum, aph. 1. sec. 4.

Purgantium medicomentorum vsu talia è corpore educenda, qualia sponte etiam prodeuntia, juvant; contrario verò modo exeuntia, sistenda, aph. 2. sec. 4.

Æstate superiorem potiùs, hyeme inferiorem purgare convenit, aph. 4. sec. 4.

Sub canicula, & ante caniculam difficiles fiunt purgationes, aph. 5. sec. 4.

Graciles & ad vomendum faciles per superna purgato, nisi hiems adsit, aph. 6. sec. 4.

Ægrè vomentes & modicè carnosos, quos eusarcos appellant Græci, infernè purgato, devitans æstatem, aph. 7. sec. 4.

Obnoxios phthisi suprà ne purgato, aph. 8. sec. 4.

Melancholicos infrà vehementiùs purga-

G

bis, eadem ratione contraria iniens vacuandi viam, aph.9. f.4.

Purgandum in valde acutis, si incitet materia, eadem ipsa die, differre enim in talibus malum, aph.10. sec.4.

Quibus propter lævitatem ventris cibi sunt incontinentes, hyeme supra purgare malum, aph.12. sec.4.

Qui ad veratrum non facilè supra purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiore alimento, & quiete præhumectanda, aph.13. sec.4.

Poto elleboro corpus movendum potiùs quàm somno tradendum aut quieti, nam vel navigatio indicat motione turbari corpora, aph.14. sec.4.

Cùm elleborum ditare voles, move corpus: cùm verò sistere, somnum concilia, nec move. aph.15. sec.4.

Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo purgatione per superna opus esse significant, aph.17. sec.4. Idem repetit, aph.70. sec.7.

Supra septum transversum dolores quicunque egent purgatione, per superna purgandum esse significat, qui verò infrà sunt, per inferna, aph.18. sec.4.

Qui potione medica dum purgantur non sitiunt, ipsorum purgandi finis non fit donec sitiverint, aph.19. sec.4.

Si citra febrem tormina adsuni, & genuum gravitas & dolor lumborum, inferna purgatione opus esse significant, aph. 20. sec.4.

Prægnantes purgabis, si materia incitet, quadrimestres, & vsque ad 7. memsem, sed has minùs, minore verò aut grandiore fœtu religiosiùs cunctantiusque agendum, aph. 29. sec.5.

Corpora quæ quis purgare volet, fluxilia faciat oportet, & siquidem suprà valet, alvus sistenda: si verò infrà laxanda, aph.70. sec.7.

Recta ratione facienti omnia si secundum eam minùs succedat, protinus non est ad aliud transeundum, dummodo id constet quod ab initio visum fuit, aph.52. sec.2.

In omni superflua purgatione, frigus cum sudore exitiale. Et inter hæc qui subinde evomunt, & siticulosi sunt, malè habent, qui verò anxietate laborant cum lumborum dolore, iis alvus humectatur, 568. sect. 2. l.2. co.

Ex epoto veratro prærubrorum, & nigrorum purgatione vitiosæ, virium exolutio cum talibus mala est, 569. l.2. co.

PLEVRITIS.

Qui pleuritide laborant nisi intra dies 14. supernè repurgentur, iis in empyema fit mali translatio, aph. 8. sec.5. Idem repetit, aph.15.

Pleuritide aut peripneumonia detento

diarrhœa interveniens malum, aph. 16. sec. 6.

A pleuritide peripneumonia malum, aph. 11. sec. 7.

Lateris dolore circa inflammationem affecti, cum turbulentis, tenuibus, moderatis, in phrenitidem labuntur, 411. sec. 2. l. 2. co.

Lateris dolor cum diuturna febre, puris eductiones fore denotat, 421. sec. 2. l. 2. co.

Qui subinde horrore corripiuntur, ad suppurationes deveniunt. Quin etiam febris ad talem suppurationem ducit, 422. s. 2. l. 2. c.

Quos ex lateris dolore cibi fastidia comitantur, iis os ventriculi aliquantulùm dolet, & sudoribus diffluunt. Vbi autem facies ruboribus velut efflorescit, & alvus est liquidior, pus in pulmonibus collectum habent, 423. sec. 2. l. 2. co.

Lateris dolores in febribus leviter firmatos, & absque vlla significatione, venæ sectio lædit, sive aversum à cibis animum, sive sublata præcordia æger habeat. Quin etiam in corporis perfrictione torpescentes non sine febre, sanguinis detractio lædit, & cum videantur leviùs habere, moriuntur, 451. sec. 2. l. 2. co.

Ad lateris dolorem insuper accedente strangulatu, suppurationis futuræ spes est, 113. sec. 2. l. 2. co.

Morbi laterales sicci, & in quibus nihil expuitur gravissimi sunt, metuendi quoque in quibus dolores ad superiora tendunt, 181. sec. 2. l. 2. co.

Morbi laterales graviores qui sine divulsionibus quàm cum divulsionibus contingunt, 382. sec. 2. l. 2. co.

Quibus in morbo laterali lingua circa initia biliosa est, hi intra septimum judicantur, quibus verò 3. aut 4. die, circa nonum, 383. sec. 2. l. 2. co.

Quod si bulla aliquantulum livescens in lingua appareat initio, qualis excitatur ferro candenti in oleum intincto, difficilior fit solutio, & judicatio quidem ad 14. diem deducitur, sanguinem autem vt plurimùm expuunt, 384. sec. 2. l. 2. co.

In morbo laterali affectis, dolores & alvum emolliri vtile est. Sputa colorari, nullos in pectore strepitus fieri, vrinam rectè procedere. Quibus contraria molesta sunt, sputumque dulcescere, 386. sec. 2. l. 2. co.

Quibus ex morbo laterali suppurantur in quadraginta diebus post ruptionem, pus per spuititionem rejiciunt, 385. se. 2. l. 2. co.

At vero biliosi simul & sanguinei morbi laterales ferè 9. die aut 11. judicantur, ac maximè sænescunt. Quibus autem in morbo laterali initio quidem dolores leves sunt, 5. verò aut 6. die ingravescunt, ferè ad 12. perveniunt. Raroque servantur, sed præcipuè 7. ac 12. die periculum subeunt: quod si bis 7. evaserint, servantur, 387. sec. 2. l. 2. co.

Quibus in morbo laterali plurimus ex-

ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus eſt, oculuſque aurigine ſuffuſus, & caligine obductus, in his mors expectanda eſt, 388. ſec.2. l.2. co.

Denſa & exercitationi dedita corpora, citiùs ex morbo laterali & pulmonis inflammatione intereunt, quàm quæ ſine exercitatione degunt, 398. ſec.2. l.2. co.

Lateris dolor cum bilioſo ſputo præter rationem evaneſcens, ægros in vehementem & furioſam mentis emotionem agit, 418. ſec.2. l.2. co.

In dolore lateris, ſanguinis è naribus ſtillatio mala eſt, 405. ſec.2. l.2. co.

In morbo laterali quibus circa initia in totum purulentæ ſunt ſputationes, ii 3. die, aut 5. moriuntur, quos ſi ſuperent, nec longè meliùs habuerint 7. aut 9. aut 11. ſuppurati fiunt, 379. ſ.2. l.2.co.

Qcibus autem rubor contingit neque aliter quàm morbo laterali affecti incaleſcunt, alvuſque bilioſa, & graveolentia exturbat, ii 20. & 40. die periculum ſubeunt, quos ſi ſuperaverint ſervantur, 380. ſec.2. l.2. co.

Vide dolorem lateris & pulmonis.

PVLMONES ET PVLMOnum inflammatio.

Ex lateris morbo præcipuè aut pulmonis inflammatione purulentos calores interdiu quidem tenues, noctu verò intentiores conſequuntur, neque quicquam efflatu dignum expuunt,

expuunt, circa cervices & claviculam ſudores occupant, oculi cavantur, malæ verò rubent, digiti quidem manuum ſummè calent & ſcabri redduntur, vngues autem vnci fiunt, & perfrigeſcunt, in pedibus tumores & puſtulas toto tempore habent, ac cibos refugiunt. Atque hæ ſunt diuturnarum vomicarum notæ. Quæ verò celerem eruptionem habent, tum ex notis quæ ad eas conſequuntur, comprehenduntur, tum etiam ex doloribus qui circa initia fiunt; ſimulque ſi ſpiritus aliquando majori cum difficultate trahitur. Rumpuntur autem magna ex parte ſuppurationes, partim quidem 20. die, partim 40. partim etiam 60. quibus igitur inter initia intenſus dolor inſtat, nec non ſpirandi difficultas & tuſſis, cum frequenti ſputatione, circa vigeſimum diem aut celeriùs ruptio expectanda eſt. Quibus autem hæc leviora inſunt, pro ratione, ſerior eruptio futura eſt. Sed & dolores & ſpirandi difficultates ac crebram reſpirationem, eruptionem ipſam præcedere neceſſe eſt. Temporis autem ratio ineunda eſt, ex quo primum quis dolorem aut gravitatem ſenſit; aut febricitavit aliquis, aut ſi quando etiam rigor prehendit. Vt plurimùm igitur brevi ſervantur, quos febris ſtatim atque eruptio facta eſt, dimittit, & cibos appetunt & quibus pus facilè educitur album odoris expers, læve ejuſdemque coloris, ſine pituita ac alvus exigua

& cocta reddit. At verò ii moriuntur quos febres consequuntur, & sitis & cibi fastidium, si pus lividum, aut ex pallido virescens, aut pituitosum, aut spumans, aut insuper si alvus est liquida. Quibus autem ex prædictis partim quædam adsunt; partim verò absunt, hi quidem moriuntur. 402. sec.2. l.2. co.

Qui pus intrò collecturi sunt, iis primum quidem salsuginosum sputum expuitur, deinde dulcius, 403. sec.2. l.2. co.

In morbis pulmonis gravedines, & sternutamenta tum præcedere, tum verò succedere, malo est, in reliquis verò morbis sternutamentum vtilitate non vacat, 399. sec.2. l.2. co.

In pulmonis inflammationibus, si lingua tota alba fiat aspera, ambæ pulmonis partes inflammatione vexantur, quibus verò dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit. At quibus quidem ad vnam claviculam dolor subiit, iis vna superior pulmonis ala laborat, quibus verò ad ambas claviculas dolor extenditur, ambæ superiores pulmonis alæ laborant, quibus ad mediam costam, media, quibus verò ad quam partem pulmo extenditur dolor permeat, inferna ala laborat, quibus vnà tota pars laborat, quæ ei parti respondent omnia ægrotant. Si quidem igitur suspensæ vtrinque pulmonis partes aortæ dictæ tanta inflammatione tenentur vt ad latus adhæreat, illa corporis parte resolutionem sentiunt, & ad costam livores foris fiunt, quos veteres ictos aut sydere percussos vocabant. Quòd si tanta non est inflammatio vt adhæreant; dolor quidem totum occupat neque tamen resolutionem sentiunt, neque livores habent, 400. sec.2. co.

Quibus autem vnà cum corde pulmo totus inflammaturi, ta vt in latus incumbat, ii toto corpore nervorum resolutionem sentiunt, & sine sensu jacet æger frigidus, 2. autem aut 3. die interit. Quod si contingat vt cor nihil tale quiddam, aut etiam minùs patiatur, diutiùs vivunt, nonnulli verò etiam servantur, 401. sec.2. l.2. co.

Pulmonis inflammationes quæ ex morbo laterali permutationem accipiunt, iis quæ ab initio fiunt securiores sunt, 397. sect. 2. l.2. co.

At verò in pulmonis inflammationibus quæ periculum creant, abscessus in cruribus non inutiliter fiunt, quibus nec potest quicquam meliùs accidere, quàm si sputum pro flavo purulentum existat. At si neque sputum pro ratione excernitur, neque in vrina bonum apparet sedimentum, periculum est ne claudicet æger, ac ne res multum negotii sit exhibitura. Quòd si abscessus intro recurrant perseverante febre neque prodeunte sputo, periculum aut mortis aut delirii im-

minet. Quicunque verò pulmonis inflammatione laborant, neque diebus judicatoriis repurgantur, verùm cum delirio 14. dies superarunt, iis suppurationis metus impendet, 396. sect.2. l.2. co.

Quibus ex pulmonis inflammatione abscessus ad aures aut inferiores partes fiunt, tum suppurant, tum per fistulam via aperta effunduntur. His autem secunda valetudo contingit, quos febris & dolor consequitur, si sputum non satis pro ratione ejicitur, neque biliosæ fuerint alvi dejectiones, sed solutu faciles, ac synceræ, neque vrina admodum crassa, aut multum habens sedimentum, ac in reliquis omnia securitatem polliceantur. Fiunt autem, aliis quidem in partibus inferioribus quos circa præcordia inflammatio fatigat, aliis in superioribus partibus, quibus præcordia tumoris & doloris sunt expertia, spirandi autem difficultas pro tempore accesserit, quæ deinde sine vlla occasione evidenti quiescat, 395. sec. 2. l.2.co.

In his igitur omnibus qui pulmones affligunt morbis, bonum quidem est facilè morbum sustinere, dolore defungi, sputum promptè expuere, facilè spirare, siti esse vacum, reliquum corpus æqualiter incalescere, ac molle esse, ad hæc somnos, sudores, vrinarum eductionem laudabiliter fieri: quibus contrà malo sunt, quandocunque ergo bona

bona hæc omnia huic sputo aderunt, poterit secunda valetudo contingere, quod si quædam adfuerint, quædam etiam abfuerint, non vltra 14. diem vita producitur. At verò si contraria signa accesserint, celeriùs mors continget, 393. sec.2. lib.2. co.

In pulmonum vitiis supra modum rubræ sanguinis stillæ malum denuntiant, 412. sec. 2. l.2. co.

In pulmonis inflammationibus siccis, qui pauca concocta educunt, metuendi sunt, 416. sec.2. l.2. co.

His aliquantulum extensi in pectoribus rubores fiunt, & perniciem denunciant, 417. sec.2. l.2. co.

In pulmone pus colligentibus per alvum pus secedere mortiferum, 419. sec.2. l.2.co.

Ex suppuratis autem quos pulmonum morbi concitarunt, ferè seniores moriuntur. At ex cæteris suppurationibus juniores potiùs intereunt. At lumborum & inferiorum partium dolores qui cum febre affligunt, si relictis inferioribus ad septum transversum transeant, exitiales sunt admodum. Ad alia signa igitur animum adhibere oportet. Si quidem ex pravis signis quippiam apparuerit omni spe destitutus est æger, cùm verò suppurati vtuntur, quibus purum quidem pus est, & album, & minimè fœtidum, ii servantur. At quibus subcruentum & cœnosum, moriuntur. Quod si irruente ad

ſeptum tranſverſum morbo reliqua ſigna minimè prava ſe oſtenderint, hunc ſuppuratum fore magna ſpes eſt. At veſicæ tum graves, tum duræ, tum dolentes, grave prorſus & exitiale periculum minantur.

Vide anginam, dolores, pulmones, ſputa, pus.

PVS.

Dum pus ſit dolores ac febres fiunt magis quàm confecto, aph. 147. ſec. 2.

Quibus in corpore pus nullam ſui dat ſignificationem, ob craſſitudinem ſui aut loci non ſe prodit, aph. ſec. 6.

Quæ ob puris intro collectionem febris intermittit, in his magna ex parte ægri tenuibus ſudoribus diffluunt, 419. ſec. 2. l. 2. co.

Quibus purulenlis ab humeris concuſſis, multus editur ſtrepitus, ii minùs habent puris quàm quibus paulo difficilior ineſt ſpiratio, iique meliùs colorati videntur. Quibus verò nullus intus fit ſtrepitus, difficultas tamen ſpirandi vehemens adeſt, & liveſcunt vngues, ii pure pleni ſunt & pernicioſè habent, 432. ſec. 2. co.

At ſanè ex ſnppurationibus quas pulmonum morbi excitarunt ferè ſenes moriuntur, ex cæteris verò juniores, 431. l. 2. co.

Quibus ex hepatis vſtione, pus amurcæ ſimile prodit, lethale, 451. ſec. 2. l. 2. co.

Qui-

Quibus tubercula in pulmone oriuntur, iis pus intra dies 40. ex quo fit ruptio, expuunt, quos ſi ſuperent, vt plurimùm tabidi fiunt, 404. ſec. 2. l. 2. co.

Quibus ſi concutiuntur, pus lutulentum & graveolens prodit, ut plurimùm moriuntur, 409. ſec. 2. l. 2. co.

Quibus ſpecillum à pure velut ab igne coloratur, ii ferè moriuntur, 410. ſect. 2. l. 2. coac.

Quibus ad palatum humor colligitur, plerumque in pus convertitur, 138. ſec. 2. l. 2. co.

Vide dolorem capitis, jecur, pleuritidem, pulmonem, vrinam.

PHRENITIS.

In phreniticis cùm omnia circa initia moderatè & ſederatè ſe habeant, ac ſubinde permutantur, malum denunciatur, 92. ſec. 2. l. 2. co.

In vehementi & furioſa mentis emotione accedentes tremores, exitio ſunt, 93. ſec. 2. l. co.

Vehementi inſania detenti, tremuli cum crebra ſputatione, metus eſt ne prhenitici evadant, 94. ſect. 2. l. 2. co.

Vehementer & acuta mente emoti, ſi febris iterum repetat, phrenitici evadunt, 95. ſec. 2. co.

Phrenitici parum bibunt, ex levibus ſtrepitibus facilè irritantur, tremuli ſunt, aut

convulsionibus tentantur, 96. sec. 2. lib. 2. coac.

In intensa phrenitide tremores lethales sunt, 95. sec. 2. l. 2. co.

Desipientiæ quæ circa necessaria fiunt pessimæ, & quæ ex his ingravescunt, exitium portendunt, 98. sec. 2. l. 2. co.

In phrenitide albicans dejectio ac torpor malum denunciant, his succedens rigor, pessimus, 91. sec. 2. l. 2. co.

Quæ in phreniticis manifesta apparent insomnia probanda sunt, 90. sec. 2. l. 2. co.

Quibus adsunt superiorum partium tenues sudores cum perfrictionibus nec sine febre, ii corporis incontinentia & phrenitide vexati præceps periculum denunciant, 69. sec. 2. l. 2. co.

Desipientiæ cum voce stridula, linguæ revulsione, ac ipsi quoque tremuli vehementem mentis alienationem significant, in his durities, aut asperitas, perniciem minatur, 95. sec. 2. l. 2. co.

Desipientiæ quæ jam admodum fractis viribus & debilitatis succedunt, pessimæ sunt, 100. sec. 2. l. 2. co.

Crebræ in phreniticis permutationes, convulsiones denuntiant, ac pravæ sunt, 101. sec. 2. co. idem repetit, 28. sec. 2. præd.

Qui inter initia sopore detenti, capitis, lumborum, præcordiorum cervicis dolore, ac insomnia conflictantur, eos considerare oportet

oportet num sint phrenitici, in his narium stillatio perniciem ostentant, idque præcipuè si 4. inter initia die contingat, 1. sec. 2. l. 1. præd.

Vehementes phrenitides in tremores desinunt, 9. sec. 2. l. 1. præd.

Quæ pauco tempore furiosiores sunt mentis emotiones, in ferinas evadunt, 26. sec. 2. l. 1. præd.

In furiosa & vehementi emotione succedentes tremores, malignitatem denunciant, 14. sec. 2. præd.

Crebræ in phreniticis sputationes cum perfrictione, non longè postea nigrorum vomitum futurum indicant, 31. sec. 2. l. 1. præd.

A peripneumonia phrenititis malum, aph. 12. sec. 7.

In phreniticis initio moderatum esse, sedatum & facilem, crebrò verò permutari malum est, quin & sputatio frequens mala est, 12. sec. 2. præd.

Vide dementiam, insaniam, jactationem, tempus, ætatem.

PHLEBOTOMIA.

Vide sanguinem, evacuationem, oculos, partum, urinam, spinam.

PUERI.

Pueris maximam partem morbi judicantur, alii intra dies 40. nonnulli intra 7. men-

ses quidam intra annos 7. aliis ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis cùm menstrua erumpunt, soluti fuerint, inveterascere consueverunt, aph. 18. sec.3.

Pueri verò quibus oculi derepente pervertuntur, aut pejùs affecti sunt, aut tubercula sub cervicem enascuntur, aut aliquantulùm lingua hæsitant, aut tusses siccæ trahentes permanent, aut vbi adoleverint, ad ventrem dolor contendit, neque conturbatur, aut iis latera distorquentur, aut venæ crassæ circa ventrem in varices convertuntur, aut omentum descendit, aut testis intumuit, aut manus extenuatur, & impotens redditur, aut pes & tibia tota citra aliam occasionem claudicat. In his omnibus animadvertendum est morbum ista omnia præcessisse. Id quod plerique eorum qui pueros educunt, interrogati fatebuntur, quidam etiam, quòd eos lateat, tale quid accidisse se scire negant, ex l.2. prædict.

RATIO.

In quovis morbo valere rationem, rectè se habere ad ea quæ assumuntur bonum; contrà verò se habere, malum, aph.33. sec.2.

RAVCITAS.

Raucitas cum tussi, & alvo liquida pus educit, 114. s.2. l.2. co.

RECIDIVÆ.

Quibus sæpius recidivæ contingunt, si sextum mensem superaverint, in tabem coxariam ferè incidunt, 144. sec.2. l.2. co.

Crebræ iisdem perseverantibus morborum reversiones, impendente judicatione, sanguinem profundentes, nigram vomitionem excitant, quin etiam tremulos ægros faciunt, 122. sec.2. co.

Vide febres.

REMEDIVM.

Ad extremos morbos extrema exquisitè remedia comparata optima sunt, aph.6. sec.1.

RESPIRATIO.

Respiratio frequens quidem & parva, aut inflammationem, aut dolorem principalium partium indicat, magna verò ex longis intervallis delirium & convulsionem. Et frigidus quidem spiritus lethalis est, mortem quoque affert, febriculosus & fuliginosus, frigido tamen minùs. Et magnus foràs quoque expiratus, parvus verò intrò & parvus foràs, magnus verò intrò, pessimus quidem ad mortemque proximè accedit & protensus est, ac vrgens, & obscurus, duplicataque intrò revocatio, qualis inspirationem reduplicantibus, facilis autem expiratio in omnibus morbis, qui cum febre acuta infestant & in 40. diebus judicantur, magnum habere ad salutem momentum existimanda est,

160. sect.2. l.2. coac.

Cervicis ac dorsi perfrictiones, quæ etiam totum corpus pervadere videntur, convulsiones denuntiant, in quibus vrinæ hordei non exactè moliti crassioribus frustulis similia continent, 193. sec.2. l.2. co.

Spirationes quæ non nisi erecta cervice ducuntur, hydropem siccum faciunt, 424. sec.2. l.2. co.

Spirationes suspiriosę quę foras educuntur, ac citra rationem facta colliquatio, in vterum gerentibus abortiones indicant. 516. sec. 2. l.2. co. Idem repetit. 540. co.

Quæ puellæ erectæ cervicis spiratione vexantur, iis vterum ferentibus mammæ pus colligunt. Muliebria purgamenta circa initia apparere, malum, 549. sec.2. l.2. co.

In febribus spiritus offendens malo est, & convulsionem significat, aph.68. sec.4.

Spiritus frequens dolorem aut inflammationem, in locis septo transverso superioribus indicat; qui verò magnus inspiratur, & ex magno intervallo delirium & frigidus ex naribus & ore expiratus exitialis admodum est. Facilè autem spirare valde magnum ad salutem momentum existimandum, cùm in omnibus morbis acutis in quibus febris conjuncta est, tum in iis qui intra dies 40. judicantur, ex 1. præn.

Quibus spiritus retrahitur & vox strangulabunda est in cervicis vertebra initio desidet,

det, & ad exitum velut ex convulsione quædam respiratio ducitur, 266. sec.2. co.

Vide senes.

RESPONSIO.

Ab homine moderato ferox & audax responsio, malum portendit, 44. l.1. præd.

RIGOR.

Vbi sanguinis eruptioni rigores succedunt, diuturni fiunt, 151. l.1. præd.

Propter dolorem vehementem partium ad ventrem attinentium extremorum perfrigeratio, malum, aph.20. sec.7.

In iis quibus rigores imminent vrina restitat, & in convulsionis affectionibus velut huic mulieri contigit, quæ vbi inhorruit, sudore correpta est, 110. sec.2. l.1. præd.

Quin etiam nonnihil metuendus est cum judicatione rigor, 101. l.1. sec.2. præd.

Summi totius corporis perfrictiones in diebus judicatoriis cum angore & corporis inquietudine si sine sudore fiunt damno sunt; præcipuè verò damnatur qui ex his superveniunt rigores, 61. sec.2. l.1. præd.

Ex rigore perfrictiones quæ ad calorem non revocantur, malæ sunt, 63. prædict.

In rigore familiares non agnoscere, & eorum quæ gesta sunt oblivisci, malum indicat, 94. sec.2. l.1. præd. Idem repetit 65. sec.2. co.

Ex perfrictione exudantes ad calorem re-

vocari periculum denuntiant, præsertim verò si accedat lateris æstus, cum dolore & subinde rigeant, malum impendet, 66. sec.2. præd.

Rigores cum æstu nonnihil periculi denuntiant, & facies incensa cum sudore in iis malum significat, super posteriorum partium frigus convulsionem provocat, 97. sec.2.l.2. præd.

Ex sanguinis eruptionibus vehementes die judicatorio perfrictiones, pessimæ, 329. s.2. l.2. co.

Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis & per dorsum perveniunt in caput; sed & viris parte corporis posteriore magis quàm anteriore veluti ex femoribus & cubitis, inditio est cutis raritas, quam ipsam pilus ostendit, aph.69. sec.5.

A multa potatione rigor & delirium, malum, aph.7. sec.7.

Vbi corpus ita perfricuit, vt obrigeat, perniciem affert, 3. sec.2. l.2. co.

Crebri ex dorso horrores subinde locum commutantes graues sunt & difficiles, laboriosam quippe vrinæ suppressionem minantur, his tenuiter exudare pessimum, 8. sec. 2. coac.

Continenter & assiduè vexans rigor, imbecillo jam corpore, lethalis est, 9. sect.2. coac.

Qui crebrò tenuiter exsudant & subinde rigent,

rigent, ii perniciosè habent, & tandem sub mortem suppurati & alvum conturbatam habere deprehenduntur 10. sec.2. co.

Qui rigores ex dorso proficiscuntur graviores sunt & molestiores, ubi verò quis 17. die rigore correptus, 4. ac 20. die insuper riguerit, difficulter habet, 11. sec.2. coac.

Qui subinde inhorrescunt, sæpe tenui sudore corripiuntur, & difficili morbo laborant, 13. s.2. co.

Qui subinde inhorrescunt & capite laborantes tenuiter exudantes, ij malignè habent, 12. sec.2. co.

Rigores multi cum torpore malignum quiddam denunciant, 14. sec.2. co.

Rigores qui in sextam diem incidunt difficile judicium ferunt, 15. sec.2. co.

Qui per sanitatem crebrò inhorrescunt, ii ex sanguinis fluxu purulenti evadunt, 16. sec.2. co.

Vbi horror in malis subinde incidit, cum difficultate spirandi, tabes denunciatur, 17. sec.2. co.

Qui subinde inhorrescunt ac incontinenti corporis jactatione cum lassitudinis sensu, & lumborum dolore conflictantur, iis alvi effunduntur, 19. sec.2. co.

Qui subinde rigore prehenduntur, & sub noctem aliquanto graviùs habent, pervigiles in somnis nugantes ac delirantes, interdum sese lotio perfundentes, ii in convulsio-

nem tendunt, 19. sec.2. co.

Continentes in malis præcipitibus rigores, malo sunt, 21. sec.2. co.

Rigor cum posteriorum partium distentione mortem adfert, 21. s.2.co.

Virium exolutiones ex rigore, cum capitis dolore perniciem denunciant, cruentæ in iis vrinæ malo sunt, 22. sec.2. co.

Quibus ubi inhorruerint, judicatorii simul sudores contingunt, postridie verò si horror repetierit, & temerè pervigilent, iis fortè sanguinem erupturum sperare oportet, 23. sect.2. co.

Rigores velut in febribus, quæ propriè ad tertianarum naturam accedunt, si in medio ingravescunt, febre nullum ordinem servante, maligni valde sunt, quæ verò contrà ingravescunt in convulsione vexatis, cum rigore & febre perniciem denuntiant, 26. sec. 2.co.

Quæ ex rigore fiunt vocis defectiones tremore solvuntur, atque eos qui subinde novo rigore corripiuntur, succedentes tremores indicant, 27. sec.2. co.

Qui ex rigore virium exolutiones aut capitis dolores sentiunt, ii in dubium de vita veniunt, in iis cruenta urina malum denunciat, 28. sec.2. co.

Quibus rigor adest iis urina restitat, 29. sec.2. co.

Qui in diebus judicatoriis cum angore aut incon-

incontinenti corporis jactatione absque sudore perfrigerantur, circa indicationem malè habent, 38. s.2 co.

Quin & qui subinde friguerunt, post hæc syncera vomitione refuderunt, anxietate vexati, tremuli in febre, malum portendunt quin etiam ex rigore vox intercepta perniciem denunciat, 39. sec.2.co.

Qui verò post sanguinis ex naribus eruptionem ex tenuibus sudoribus perfrigescunt, malè habent, 40. sec.2.co.

Cervicis & dorsi perfrictiones, & quæ totum corpus videntur pertingere, insuper & spumantes mictiones, cum animi deliquio, & oculorum hebetatio convulsionem in proximo esse significant, 113. sec.2. l.1. præd.

Subabsurdus est qui cum judicatione rigor fit, 321. sec.2. co.

Qui ex rigore perfrictione detinentur, cum capitis ac cervicis dolore, vocis defectione, ac tenui sudore, ii ubi vires resumpserint ac sese velut recollegerint, moriuntur, 1. sec. 2. co.

Rigores cum sopore nonnihil periculi denunciant, & facies incensa cum sudore malignitatem significat, insuper posteriorum partium frigus, convulsionem provocat. Ac omnino posteriorum partium refrigeratio, convulsionem minatur, 7. sec.2. co.

Febrem ardentem succedens rigor solvit, 135. sec.2. co.

Ex his qui cum pernicie consumpti sunt, nonnulli ante mortem subinde rigoribus corripiuntur, 44. sec.2. co.

Vide febres, abscessum, aborsum, hæmorrhagiam.

RVBOR.

In febribus ex prægresso dolore rubores ad aures subnascentes, ignis sacri in facie spem faciunt, quin & convulsiones cum vocis privatione & vitium exolutione ad hæc consequi par est, 200. sec.2. co. Vide anginam, cerebrum, tumores, testiculos.

RVCTVS.

Vide lienteriam.

SALIVA.

Vide Linguam, tussim.

SANGVIS.

Sanguinem supernè quidem efferri qualiscunque sit, malum: infernè verò niger, si dejiciatur bonum, aph.25. sec.4.

Sanguinem spuitione rejicentibus sine febre esse conducit, ac tussi & dolore leviter conflictari, sputumque ad dies 14. tenuari. Intensè autem febricitare, ac tussire, sanguinemque recentem semper spuere, minimè conducibile, 427. sec.2. l.2. co.

Sanguinis eruptiones vehementes cum totius corporis perfrictionibus judicatoriis pessimæ sunt, 134. sec.2. co.

Sanguinis ex parte adversa profluvium malum

malum est; veluti si in lienis tumore ex dextra nare effluat, & circa præcordia idem spectari oportere existimandum est, 327. sec.2. l.2. co.

Quibus sanguinis eruptiones diu perseverant, in iis temporis progressu alvus malè afficitur, nisi urina concocta prodierit, ac fortassis tale aliquid diluta urina denunciat, 352. sec.2. l.2. co.

Quibus ex larga & frequenti sanguinis eruptione copiosa fit nigrorum dejectio, cum alvi vero suppressione sanguinem profundunt iis alvus dolore conflictatur, unà autem cum quibusdam flatibus tolerabiliùs ferant, ac fortè si copiosis, frigidis, & tenuibus sudoribus diffluunt, in iis returbata urina mala non est, neque quod in ea insidet genitali semini simile, ut plurimùm autem, hi dilutas urinas reddunt, 333. sec.2. l.2. co.

Perpusillæ sanguinis è naribus stillæ damno sunt, 57. sec.2. l.2. co.

Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuret necesse est, aph.20. sec.6.

Spinæ perversionem, & spirandi difficultatem sanguinis fluxus liberat, 311. sec.2. l.2. co.

In corporis perfrictione cum torporis sensu, sanguinis dextractio mala, 343.

Sanguinis fluxus si 4. die oriatur, diuturnitatem indicat, & alvus effunditur crura-

que intumescunt, 533. sec.1. lib.2. co.

Vide excrementa, hæmorrhagiam.

SANGVIS GINGIVARVM.

Vide excrementum.

SATIETAS.

Vbi præter naturam copiosior cibus ingestus est, morbum inde creari indicat sanatio, aph.17. sec.2.

Vide cibum.

SECESSVS.

Vide excrementa.

SEDES.

Vide dolorem.

SENES.

Senes magnam partem juvenibus minus ægrotant: semel autem diuturnis morbis correpti ferè vnà moriuntur, aph.39. sec.2.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, cachexiæ Græcis dictus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum & aurium humiditates, visus obtusior, glaucomata, auditus hebetior, aph.31. sec.3.

Vide victum.

SECVNDINA.

Ad secundinas deturbandas sternutatorio immisso nares & os, manu obtura, aph.49. sec.5.

SECTIO.

Persectum os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coalescit.

Pertusa persectáve vesica, cerebro, corde, septo transverso, tenui quopiam intestino, ventriculo, jecore, lethale est, aph.18. sec.6. Sive os, sive cartilago, sive nervus sectus fuerit in corpore, neque augetur, neque coalescit, aph.28. sec.7.

Vide nervum.

SINGVLTVS.

Propter inflammationem singultus, malum, aph.17. sect.7.

Si senibus supra modum purgatis singultus accidat, non bonum, aph.41. sec.7.

Singultu fatigante sternutatio superveniens liberat, aphor.13. sec.6.

Ex synceris vomitionibus singultus malus est, mala quoque convulsio, quin etiam idem existimandum est in immodicis purgationibus quæ ex medicamentorum potionibus fiunt, 565. sec.2. l.2.co.

A vomitu singultus & oculorum rubor malum, aph.3. sec.7.

Vide hæmorrhagiam, ileum, tus.

SITIS.

Sitis si temerè ac præter rationem cesset in præcipitibus malis, malo est, 57. sec. 2. l.1. præd.

In gravi morbo sitim temerè ac præter naturam cessare penitus malum est, 52. sec.2. l.2. co.

Vide dolores capitis.

Quibus noctu bibendi est aviditas, iis admodum sitientibus obdormiscere bono est, aph.17. sec.5.

SICCITAS.

Vide tempus.

SOLVTIO.

Vide sectio.

SOMNVS.

Vbi somnus delirationem sedat, bonum, aph.2. sec.2.

Somnus & vigilia si modum excesserint, malum, aph.3. sec. 2. Idem repetit, aph.71. sec.7.

Profundi somni neque turbulenti, judicij firmitatem denunciant, turbulenti verò non sine corporis offensione instabiles sunt, & infirmi, 151. sec.2. co.

Somni quales sopore oppressis, & totius corporis perfrictiones, perniciem ostentant, 181. s.2. co.

Sed in somnis etiam num de oculis aliquid subappareat, spectare oportet. Nam si quid non coactè commissis palpebris de albo appareat, modò non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione accidat, malum signum est, & valde perniciosum, aph.52. sec.6.

Quod ad somni rationem attinet, quemadmodum à natura nobis est consuetum, interdiu quidem vigilandum, noctu vero dormiendum. Quod si istud immutatum fuerit, deteriùs existimandum. At minimè offenditur æger si prima luce dormiat ad tertiam diei partem. Qui verò postea somnus contingit deterior est. Pessimum autem, si neque noctu, neque interdiu dormiat, nam aut ob dolorem insania adest, aut delirii adfuturi nota est, 47. præn. Idem repetit, 497. sec.2. co.

Vide furorem, insomnia, soporem, oculos, convulsionem.

SONITVS.

Vide cerebrum, tinnitum.

SOPOR, & SYDERATIO.

In syderatis succedentes hæmorrhoides vtiles: refrigerationes verò ac torpores malum denunciant, 478. sec.2. co.

In syderatis ex magna spirandi molestia subortus sudor, mortem adfert, in his rursus si febris accedat, solutio contingit, 479. sec.2. co.

Syderationes quæ repente fiunt, si insuper febris in modum exolutionis contingat quæ diutiùs trahat, perniciem minantur, 480. sec.2. l.2. co.

Qui sopore detinentur cum incontinenti corporis jactatione, præcordiorum dolore, & parva vomitione, ii tubercula ad aures

habent, ſed & antea circa faciem tumores apparent cum ſopore, 183. ſec.2. l.2. co. Idem repetit, 165. lib.1. præd.

Sopor profundus & altus omnino damnandus eſt, 178. ſec.2. l.2.co.

Qui inter initia ſopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, præcordiorum dolore ac inſomniis conflictantur, conſiderandi num nephritici evadant, in his narium ſtillatio perniciem oſtentat, tum verò vel maximè ſi 4. die aut inter initia contingat, alvi quoque prærubra proluvies, malo eſt, 179. ſec.2.co.

Qui ſopore oppreſſi circa initia tenuiter exudantes concoctas urinas emittunt cum magna corporis æſtuatione, citra judicationem verò perfrigeſcunt, & rurſum ex brevibus intervallis perururtur, torpore, ſopore, aut convulſione tentati pernicioſè affecti ſunt, 180. ſec.2. co.

Sopore, laſſitudine & ſurditate tentatos alvus erumpens & ad indicationem rubra demittens juvat, 182. ſec.2. l.2.co.

Quibus in morbis ſubita fit mentis perclusio cum inquieta corporis jactatione, iis ſanguinis eruptionem fore ſpes eſt. 184. ſec. 2. l.2.co.

Qui ſopore, corporis inquietudine, præcordiorum dolore affliguntur, cum frequenti, & pauca ſputatione, iis tubercula ad aures exoriuntur, ac fortaſſis ſopore tentati ad aliquam convulſionem deveniunt, 185. ſec.2.co.

Qui-

Quibus ſopore conflictatis fatuitate & alto ſtupore (quem catochum vocant) detentis præcordia variant, ac venter in tumorem præter naturam ſublatus eſt cum ciborum faſtidio, ac alvi interceptione, tenui circa caput & thoracem oborto ſudore, in his animadvertendum eſt, num concitatus magnus ſpiritus, aut geniturae ſimilis excretio prodiens ſingultum prænunciet, alvus verò ſortaſſis etiam bilioſa demittat, cos ſplendeſcens quiddam per urinam redditum juvat, alvus verò in his etiam commovetur, 186. ſec.2. l.2. co. Idem repetit, 92. l.1. præd.

Vbi cerebrum ſyderatione periclitatur, quidam tribus diebus, quidam etiam ſæpe moriuntur, quos ſi evaſerint ſervantur, ex quorum numero pereunt quibus per ſectionem os diſparatum apparuerit, 187. ſect. 2. co.

Ex capite dolentes & alto ſtupore (quem catochum dicunt) detenti ac delirantes cum alvi interceptione, ac ferociente intuitu, floridi, in ſcapulas rigeſcunt, ac poſteriorum partium diſtentione tentantur, 162. ſec.2.co. Idem repetit, 88. l.1. præd.

Syderationes quæ repente contingunt ſi inſuper febris mediocris accedat, quæ diu trahat perniciem minatur, quale quid Namenii filio contigit, 82. ſec.2. l.1. præd.

In ſopore afflictis ægris ſpumantibus prodeuntibus dejectionibus, febris acuta ingraveſcit, 93. ſec.2. l.1. præd.

Qui sopore detinentur cum incontinenti corporis jactatione, præcordiorum dolore, & parva vomitione, ii tubercula ad aures habent, sed & antea circa faciem tumores apparent cum sopore, 183. sec. 2. co.

Animadvertendum est diligenter num profundus & altus sopor omnino damnari debeat, 63. sec. 2. l. 1. præd.

Vocis defectiones cum virium exolutione alto stupore (catochum vocant) detentis perniciem minantur, 96. l. 1. præd.

Quæ ex lumbis in cervicem & caput redundant, & levis syderationis more resolutionis sensum inducunt, convulsionem ac mentis emotionem minantur. Videndumque est num talia convulsione solvantur, qui hujusmodi conflictantur, variè morbum trahunt, atque eadem diutiùs perseverant, 118. sec. 2. l. 1. præd.

In his qui quodam sopore aut morbo regio detinentur nec admodum sentiunt, & quibus singultus adest, alvus affatim prorumpit, fortassis etiam supprimitur, atque ii exolvuntur, videndum num abscessus ad aures in his spectare oportet, 154. l. 1. præd.

In leviter syderatis abscessus qui ad aures contingunt malo sunt, 160. l. 1. præd.

Quibus cerebrum syderatum est intra tres dies intereunt, si verò hos superaverint salvi fiunt, aph. 50. sec. 7.

SPI-

SPINALIS MEDVLLA.

Aut verò si spinalis medulla aut ex casu, aut aliqua quapiam externa causa, aut sua sponte laborarit, & crurum impotentiam facit, ut ne tactum quidem percipiat æger & ventris, & vesicæ, adeò ut ne primis quidem diebus stercus aut urina nisi coactè reddatur. Quod si morbus inveteraverit & stercus, & urina ægro inscio prodit, tandemque non longo post interuallo perit, ex l. 2. sec. 2. præd.

Spinæ peruersionem & spirandi difficultatem sanguinis fluor liberat, 311. sec. 2. co.

SPIRATIO.

Vide respirationem.

SPVTA & SVPPVRATIO.

A sanguinis sputo puris sputio, malum, aph. 15. sec. 7.

A puris sputo phthisis & fluxio, cùm verò sputum retentum fuerit, moriuntur, aphor. 16. sect. 7.

Sputa ex angina viscida, & crassa, exalbida, vi educta malum denunciant, omnisque ejusmodi maturatio mala est: In his multa deorsum purgatio levis syderationis modo mortem adfert, 377. sec. 2. lib. 1. co.

Sputa ex angina subarida, crebra, per tussim & cum lateris dolore educta perniciem minantur. Atque ea quæ inter potandum per tussim rejiciuntur, quæque difficulter deglu-

riuntur, malum portendunt, 378. sec.2. l.2. co.

In morbo laterali, quibus circa initia in totum purulentæ sunt spuitiones, ii 3. die aut 5. moriuntur: quod si superent nec longè meliùs habuerint 7. aut 9. aut 11. suppurati sunt, 379. sec.2. l.2. co.

Sputum vero in morbo laterali ubi maturescere & expui 3. die cœperit, celeriores solutiones facit, quòd si posteriùs tardiores, 386. sect.2. l.2. co.

Sputum autem quodcunque dolorem non tollit, malum significat; quod verò solvit bonum, 391. sec.2. co.

In omnibus autem laterum & pulmonum morbis sputum promptè, ac citò excreari necesse est, flavumque sputo permixtum esse. Quod si multo post dolorem flavum aut non commixtum rejicitur, nec non sine multa tussi, vitiosum censetur, omnino autem pravum, flavum si syncerum est, & glutinosum, & candidum, & rotundum; itemque multum ex virore pallescens, quodque spumosum & syncerum, & lividum, & æruginosum. Aliquanto verò deteriùs quod sic est syncerum, aut nigrum quoque videatur. Aut flavum cui paulum sanguinis admixtum est, initio quidem salutem pollicetur, quod verò 7. die aut longiore spatio tale apparet, non adeò tutum. Admodum autem sanguinolentum, aut quod statim initio livescit perniciem præ se-

se fert, pravitatem etiam indicant & spumantia, & flava, & nigra, & æruginosa, viscosaque, & quæcunque celeriter colorantur. Mucosa autem & fuliginosa tum celeriter colorantur, tum securiora sunt; quæ verò intra quintum diem, dum coctionem accipiunt, colorantur, meliora censentur, 390. sec.2. l.2. co.

Quibus cum biliosa purulentum sputum, aut serosum, aut simul permixtum educitur, ii vt plurimum 14. die intereunt, nisi bonum aut malum aliquod ex his quæ superiùs dicta sunt, contingat. Alioqui certè pro ratione mors expectanda est, atque in his præcipuè quibus 7. die sputum hujusmodi procedere cœpit, 392. sec.2. l.2. co.

Purulentos moderatiùs habentes, si sputa graveolentia consequantur, recidiva interimit, 406. sec.2. l.2. co.

Qui in morbo laterali sputa rejiciunt purulenta aliquantulùm biliosa, rotunda, aut purulenta aliquantulùm cruenta, iis temporis progressu periculum creatura, perniciem autem denunciant sputa nigra, fuliginosa, aut quibus qualia ex vino nigro fiunt, 407. sec.2. co.

Qui spumantem sanguinem spuitione rejiciunt cum præcordiorum dextrorum dolore, iis ex jecinore prodit, & plerumque pereunt, 408. sec.2. co.

Sputa viscida salsuginosa cum raucitate

malo ſunt. Quod ſi ad hæc aliquid etiam in pectore ſublatum ſit, malum ſignificat, in his extenuatis cervicis dolores perniciem denotant, 413. ſec. 2. co.

Hepaticis ſputum multum cruentum ſive intus ſubputridum, ſive ſincerè bilioſum fuerit, ſtatim perniciem denotat, 446. ſec. 2. coac.

Quicunque ſpumantem ſanguinem expuunt cum præcordiorum dextrorum dolore, iis ex jecinore ſpuitur, & pereunt, 450. ſec. 2. co.

In febre ſputi excreationes lividæ, nigræ, bilioſæ, ſubſiſtentes quidem malæ ſunt, ſi verò pro ratione excreantur, vtiles, 242. ſec. 2. coac.

Quibus ſalſa ſputa cum tuſſi ſubſiſtunt, iis corpus velut efflorecentibus puſtulis rubeſcit, antè verò exaſperatur, 243. ſec. 2. co.

Excreatio frequens & irrita, ſiquidem etiam aliud quoddam ſignum affuerit, phrenitidem portendit, 244. ſec. 2. co. Idem repetit, 6. ſec. 2. præd.

At de ſputo & tuſſi eorum quos tabes malè habet, eadem mihi dicenda ſunt, quæ de purulentis ſcripſi. Eum namque qui probè levari volet, convenit ſputum facilè tuſſi rejicere, eſſeque album & æquale, vnius coloris, & ſine pituita, quod à capite defluit ad nares vertatur, neque febris prehendat, vt nec cibos impediat, neque ſitim faciat,

alvus

alvus autem quotidie dejiciat, & quod ſecedit durum eſto, & iis quæ aſſumuntur conveniens, hominem quàm minimè tenuem eſſe conuenit, pectus verò laudandum, quadratum & hiſpidum cujuſque cartilago exigua & admodum carnoſa eſt. In quo namque hæc omnia ineruut, is maximè ſuperſtes futurus eſt. At qui nihil horum habuerit, exitio maximè eſt affinis. Iuvenes verò qui in pectore pus colligunt ex humorum decubitu, aut fiſtula, aut alio quopiam id genus, aut ex abſceſſus reverſione, ii niſi multa admodum bona ſigna aſſecuti ſint, minimè evadunt. Moriuntur verò hujuſmodi homines ſub autumnum, valdeque & ex aliis morbis longis pleriſque ſub hoc tempus pereunt. Ex reliquis verò minimè evadunt tum virgines, tum mulieres, quibus ex menſtruorum ſuppreſſione tabes contigit. Quòd ſi ex his aliqua ſupereſſe volet, cum multa laudabilia ſigna accedere, tum verò menſes luculenter & manifeſtè comparere oportet, alioqui nihil ſpei relictum eſt. At qui ex ſanguinis eruptione in pectore pus colligunt, tum viri tum mulieres ac virgines, ii certè haud minùs ſuperſunt. Cæterùm omnia ſigna tam ſuppuratorum quàm tabeſcentium animo reputantem tum ſuperfuturum, tum etiam periturum prædicere oportet. Ex ſanguinis autem eruptione maximè ſuperſunt, quibus in dorſo & pectore dolores

ſunt

adſunt melancholici, & ſanguinis eruptione colore quodammodo levantur. Neque enim tuſſes admodum neque febres ſuccedunt, ac plerique ſitim ad extremum vſque facilè tolerant, ſed recurrunt ferè ſanguinis eruptiones niſi abſceſſus ſuccedant, ex quibus ii ſunt optimi, qui maximè cruenti. Qui verò in pectore dolores ſentiunt, & temporis tractu extenuantur tuſſi & ſpirandi difficultate conflictantur, ſi neque febres prehendant, neque ſuppurationes ſuccedant, ex iis percontari oportet ſi quando tuſſiunt, & difficulter ſpirant, num etiam concretum quoddam & modicè olens per tuſſim rejiciant, ex lib. 2. præd.

In omnibus pulmonis & laterum doloribus, ſputum celeriter, prompteque expui, convenit, ſputóque flavum valde permixtum apparere; etenim ſi multo poſt doloris initium, quod flavum eſt, aut fulvum, aut multam tuſſim exhibeat, neque valde permixtum expuatur, deterius eſt. Flavum quippe ſi ſyncerum fuerit periculum ſubeſſe teſtatur, album autem, & viſcidum, & rotundum inutile. Malum quoque valde viride, aut pallidum, itemque ſpumans. At ſi adeò ſyncerum fuerit, vt etiam nigrum appareat, id illis deterius eſt. Malum quoque vbi nihil expurgatur, neque ipſum projicit pulmo ſed propter multitudinem fervet in gutture. In omnibus pulmonis morbis gravedines, & ſter-

ſternutationes, tum præire, tum ſubſequi, malum. Verùm in aliis maximè lethalibus morbis ſternutamenta vtilitate non carent. At in pulmonis inflammationibus, ſi inter initia morbi ſputum excernitur flavum, non multo permixtum ſanguine, ſalutare eſt, & confert admodum. 7. vero die, ac tardiùs non adeò ſecurum: omnia autem ſputa mala ſunt, quæ dolorem non ſedant. Peſſima etiam nigra, vt prius ſcriptum eſt. At omnium quæ exereantur optima quæ dolorem ſedant. Horum verò locorum dolores, qui neque per venæ ſectionem, aut medicamenta purgantia, & victus rationem ſedantur, eos ad ſuppurationem tendere ſciendum eſt. Ex ſuppurationibus autem admodum exitiales ſunt quæ ſputo adhuc bilioſo exiſtente ſuppurantur, idque potiſſimùm ſi ab huiuſmodi ſputo ſuppuratio procedere cœperit cum morbus ad diem ſeptimum pervenerit. Qui verò talia ſpuit, ne 14. die moriatur metus eſt, niſi quid boni acceſſerit. At in bonis quidem ſignis hæc numerantur, facilè morbum ſuſtinere, bene ſpirare, dolore levari, ſputum ſine difficultate rejicere, corpus æqualiter calidum & molle videri, ſine ſiti eſſe, vrinas etiam & alvi excrementa, & ſomnos & ſudores, velut deſcriptum eſt, ſingula ſupervenire bona exiſtimanda ſunt. His enim omnibus ſic contingentibus haudquaquam æger morietur, quod ſi ex his quædam quidem

dem contingant, quædam minimè, non vltra 14. diem æger vitam producet. Contrà verò ægrè morbum sustinere, spirationem magnam & densam esse, dolorem minimè sedari, sputum ægrè rejicere, vehementem sitim esse, corpus à febre inæqualiter detineri, alvum quidem & latera vehementer calere, fronte, manibus & pedibus frigidis, vrinas verò & alvi excrementa & somnos & sudores vnaquæque qualia descripta sunt mala esse non convenit. Si quid enim ex his sputo supervenit morietur æger priusquam ad 14. diem perveniat, aut 9. aut 11. die: sic igitur conjicere oportet, quod cùm sputum istud valde lethale sit, neque etiam ad 14. diem perducit, ex his verò tum bonorum, tum malorum subducta ratione prædictiones facere oportet. Sic enim quis potissimum verum assequatur. Reliquæ verò suppurationes magna ex parte rumpuntur, partim quidem 20. die, partim etiam 30. quædam quoque 40. aliquæ etiam ad 60. perveniunt. Suppurationis autem initium fore ratione comprehendere oportet, ab eo die quo primùm æger febricitavit, aut etiam primùm vigor prehendit, & si pro dolore sibi pondus inesse in eo loco qui dolore affligebatur dixerit, ista namque circa suppurationis initia fieri solent. Ex hoc igitur tempore suppurationum ruptionem fore intra prædicta tempora expectandum est. Quod

si in altero tantùm latere suppuratio fuerit, tum vertere, tum ediscere ad hæc convenit, num dolor aliquis alterum latus detineat, & num altero calidius fuerit, atque vbi in latus sanum decubuerit, interrogare si quod ei pondus desuper impendere videatur. Sic enim altero latere in quo pondus extiterit suppuratio est. At purulentos omnes his signis dignoscere oportet. Primum quidem si febris non dimiserit. Verùm interdiu levior quidem, noctu verò major detinet, & sudores multi oboriuntur, tussesque & tussiendi cupiditas ipsis inest, nihil tamen effatu dignum expuunt, oculique cavi redduntur, malæ ruborem contrahunt, & vngues quidem in manibus adunci fiunt, digiti verò maximeque summi incalescunt, & in pedibus tumores fiunt, cibos minimè appetunt & pustulæ toto corpore oriuntur. Diuturnæ igitur suppurationes his indicantur signis, quibus multa fides habenda est. Quæ verò breve habent spatium sic indicantur, si quid eorum appareat quæ inter initia fiunt. Simulque si etiam aliquanto difficiliùs æger spiret. At ex his quæ citiùs aut tardiùs rumpuntur sic deprehendere licet, si quidem dolor inter initia oriatur, & spirandi difficultas, ac tussis sputatioque perseverant, & ad 20. diem extenduntur intra hoc tempus, aut adhuc priùs ruptionem expectato. Quod si minor dolor fuerit, iisque cætera omnia

pro hujus ratione respondeant, tardiùs ruptionem expectato. At ante puris eruptionem dolores oboriri, & spirandi difficultatem, & sputi excreationem necesse est. Supersunt autem ex morbo hi potissimum quo febris eodem post ruptionem die dimisit, quique cibos celeriter expetiverint & siti liberantur, venterque tum exigua tum cocta dejicit, & si pus album & læve, ejusdemque coloris fuerit, & à pituita liberum, citraque dolorem aut tussim vehementem educatur. Sic quidem optimè ac celerrimè liberantur, sin minus, qui ad ista, proximè accedent. Moriuntur verò quos febris non dimiserit, iterum accenditur & siti quidem vexantur, cibos verò non expetiverint, & si alvus liquida dejecerit, pusque ex viridi pallidum & lividum aut pituita permixtum & spumosum expuerint. Si hæc omnia contigerint, partim quædam contigerint, moriuntur. At quibus eorum partim quædam contigerint partim minimè, ex his nonnulli quidem intereunt, quidam etiam ex longo temporis intervallo supersunt, sed ex omnibus his signis existentibus, tum in his, tum in reliquis omnibus conjecturam facito. Quibus ex morbis pulmonis ad aures abscessus oboriuntur, & ad inferiores sedes suppurant, & fistula facta aperiuntur, iis secunda valetudo contingere solet. Ista verò hunc in modum consideranda sunt, si febris detinet, neque dolor

dolor conquiescit, neque sputum ex ratione procedit, neque biliosæ sunt alvi dejectiones, neque bene solutæ ac synceræ, neque vrina admodum multa & copiosum habet sedimentum, suffragantur verò ad salutem reliqua omnia salutaria signa, in his hujusmodi fore abscessus expectato. Ac hi oriuntur quidem in locis inferioribus circa præcordia inflammationis aliquid subest, illi autem in superioribus. Quibus præcordia mollia & doloris expertia perseverant, cumque difficultate spirandi aliquandiu vexatus fuerit, quæ citra vllam aliam evidentem occasionem quieverit, invehementibus & periculo proximis pulmonum inflammationibus, abscessus ad curas omnes sanè vtiles. Optimi verò qui fiunt sputo mutationem subeunte. Si namque tumor & dolor suboriatur sputo pro flavo in pus verso & foràs prodeunte, hoc modo tum securissimè æger superstes futurus est, tum citissimè citra dolorem abscessus conquiescet, quòd si neque sputum rectè excernatur, neque vrina bonam subsidentiam habere videatur, periculum est ne articulo claudicet æger aut ei multum negotii exhibeatur. Si verò dispareant abscessus & intrò recurrant, sputo non prodeunte, & detinente febre, gravis morbi periculum, & delirii & mortis ægro imminet. Ex suppuratis autem quos pulmonum morbi concitarunt, ferè seniores moriuntur,

at ex cæteris suppurationibus juniores potiùs intereunt. At lumborum & inferiorum partium dolores qui cum febre affligunt, si relictis inferioribus ad septum transversum transeunt, exitiales sunt admodum. Ad alia igitur signa animum adhibere oportet, siquidem ex pravis signis quidpiam apparuerit, omni spe destitutus est æger. Cum verò suppurati vruntur, quibus quidam putum pus est & album, & minimè fœtidum, ii servantur, at quibus subcruentum & cœnosum, moriuntur. Quòd si irruente ad septum transversum morbo reliqua signa minimè prava se ostenderint, hunc suppuratum fore magna spes est, ex l. præn.

Vide dolores capitis, excretiones, pleuritidem, pus, tabem.

STRANGVRIA.

Ad recti intestini & vteri inflammationem purulentosque renes accedit stranguria, iecore inflammatione laborante intervenit singultus, aph.58. sect.5.

Vide ileum, dysuriam.

STATVS.

Vide jacere.

STERNVTAMENTVM.

Sternutamentum cietur ex capite cerebro excalefacto, perhumectato spatio in capite inani, aër enim intus contentus foràs erumpit, strepit autem quia per angustum ipsi est exitus, aph.51. sec.7.

Vide

Vide pulmonem, hystericam pluritidem.

STRIDOR.

Vide dentes.

SVDOR.

Sudores febricitantibus boni qui manare cœperint die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34. hi enim sudores morbos indicant, qui secus evenerint laborem & morbi longitudinem aut ejusdem reditum significant, aph. 36. sec.4.

Frigidi sudores cum febre acuta, mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem significant, aph.37. sec.4.

Qua corporis parte sudor, ibi morbus, aph.38. sec.4.

Sudor multus & per somnum factus, copiosiore cibo corpus vti significat; quòd si parciùs epulanti hoc accidat, vacuatione indigere sciendum est, aph.41. sec.4.

Sudor multus frigidus calidúsve semper fluens, frigidus graviorem, calidus minorem morbum significat, aph.42. sec.4.

Febricitanti sudor superveniens febre ægrotum non deficiente, malum, prorogatur enim morbus, & plus humiditatis inesse significat, aph.56. sec.4.

Sudor optimus sanè qui febrem die judicatorio tollit, vtilis autem & qui alleyat. Malus verò frigidus, & vbi caput duntaxat & cervix insudat, nam & temporis diuturnitatem, & periculum denuntiat, 572. sec.2. co.

Sudor autem frigidus, cum acuta quidem febre exitium, cum mitiore verò diuturnum fore morbum significat, 573. sec.2. co.

Sudor vnà cum febre, acuto morbo vrgente, malus, 574. sec.2. co.

Sudores autem partium seorsim quidem procedentes juvant, partim verò vniuersim effusi, & quæ affatim fiunt sanguinis detractiones, nocent, 360. sec.2. l.2.co.

Qui crebrò tenuiter exudant & subinde rigent, ii perniciosè habent, & tandem sub mortem suppurati & alvum conturbatam habere deprehenduntur, 10. sec.2. co.

Ex tenuibus sudoribus pervigiles, ad calorem revocati, malè habent, 41. sec.2.co.

In febre tenuiter exudantes, malignè habent, 42. sec.2. co.

In præcipitibus malis tenues cica caput maximè suboriri sudores, & corporis incontinentia quadam jactari, malum indicat, tum verò præcipuè pernicies intenditur, si ista cum vrinis nigris contigerint, & spiritus magnus & concitatus adfuerit, 49. sec.2. co.

Qui ex sudoribus perfrigerantur, ac celeriter recalescunt, malè habere judicantur, 52. sec.2. co.

Qui in gravibus malis tenuiter exudant, & quadam corporis incontinentia jactantur, malè habent, 53. sec.2. co.

Qui per febres tenuiter exudant cum capitis dolore & alvo intercepta, ad convulsiones proni sunt, 154. sec.2. co. Idem repetit, 115. l.1. præd.

Tenuiter exudantes cum capitis dolore & alvo intercepta, ad convulsiones proni sunt, 177. sec.2. co.

Sudor in febribus acutis multus & copiosus, damno est, 58. sec.2. l.1. præd.

Quibus circa initia tenues suboriuntur sudores & vrinæ coctæ emittuntur cum magna totius æstuatione, si præter rationem perfrigescant, & rursus celeriter peruruntur, & torpore, sopore, aut convulsione tenentur, ii perniciosè affecti sunt, 102. sec. 2. l.1. præd.

Sudores optimi quidem per omnes morbos acutos qui diebus judicatoriis contingunt, & penitus febre liberant: boni verò quicunque toto corpore oriuntur, faciuntque vt æger morbum faciliùs ferre videatur. At qui nihil tale efficiunt, minimè sunt vtiles, pessimi autem frigidi, quique circa caput tantummodo, faciem & cervicem exoriuntur. Ii namque cum acuta febre mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem prænuntiant, quique per totum corpus eodem modo atque ex capite fiunt. Qui verò milii formam referunt, & circa cervicem tantùm oboriuntur pravi, boni autem qui guttatim & cum exhalatione fiunt. Atque hoc in totum de sudoribus animadvertere opor-

tet, quod nonnulli quidem ex corporis dissolutione, quidam etiam ex inflammationis vehementia contingunt, 45. prænot.

Vide febres, horrorem, rigorem.

SVFFITVS.

Suffitus aromatum muliebria educit, ad alia verò multa vtilis esset, nisi capitis ingeneraret gravitatem, aph.28. sec.5.

SVFFOCATIO.

Si febre detento suffocatio derepente supervenerit, nullo in faucibus apparente tumore, est mortiferum, aph.34. sec.4.

Per febrem strangulari, & devorare non posse citra tumorem, malum est, 277. sec. 2. coac.

SVRDITAS.

Qui surditate cum capitis gravitate ac præcordiorum contentione vexantur, si oculorum acies perturbatur in iis sanguinis è naribus fluxum sperare oportet, 195. sec.2.co.

In acuta febre aures obtusæ vehementem insaniam portendunt, 197. sec.2. co.

In surditate ac torpore ex naribus stillatio molestiam quandam exhibet, iis vomitio ac alvi perturbatio conveniet, 208. sec. 2. coac.

Surditatem in febribus, enatum sanguinis è naribus profluvium, ac alvi perturbatio tollit, 210. sec.2.co.

In præcipitibus & turbulentis morbis obve-

obveniens surditas malo est, quin & in longis morbis malum portendit, ac in his ad coxendicees labores convehit, 190. sec.2. co.

In febribus enata surditas alvum remoratur & sistit, 191. sec.2. co.

Surditas cum vrinis prærubris, non subsidentibus & sublimamentis, mentis emotionem minatur. In his morbo regio corripi malum est. Quin etiam malo est, ex morbo regio fatuitas, aut stupiditas. His quidem vox deficere solet absque sensuum læsione, quin & alvus nonnunquam affatim prorumpit: quale quid Hermippo contigit & mortuus est, 32. sec.2. l.1.præd.

In præcipitibus & turbulentis morbis obveniens surditas perniciem minatur, 33. l.1. præd.

Ex surditate abscessus ad aures contingere consentaneum est, præsertim verò si implaciditas quædam aut inquies corporis jactatio succedat. Ac inter hos in iis qui sopore detinentur, ista magis sperare oportet, 159. sec. 12. l.1. præd.

Surditas pus intrò colligentibus suborta sanguinolentam dejectionem denuntiat. His sub mortem nigra egeruntur, 420. sec. 2. coac.

Vide dolores capitis, excrementa, febres.

SVSPIRIA.

In morbis acutis cum febre quasi gementium suspiria, mala, aph.54. sec.6.

TABES & TABIDI.

Tabes iis maximè ætatibus fit quæ à 18. adsunt ad 34. aph.9. s.5.

Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt carbonibus injectum olet graviter & capilli diffluunt, perniciosum signum, aph. 11. sec.5.

Quibus per tabem capilli defluunt, iis fluxione alvi superveniente, in propinquo mors, aph.12. sec.5.

Si tabe detento profluvium alvi superveniat, perniciosum, aph.14. sec.5.

Tabidi quorum sputum igni impositum gravem nidorem redolet, & capilli è capite diffluunt, moriuntur, 434. sec.2. l.2. co.

Tabidis in aquam marinam expuentibus, si pus fundum petit, celerem perniciem denunciat, sit autem marina aqua in æneo vase, 43. sec.2. co.

Sputorum retentiones in tabescentibus mentem ad deliria verba commovent, in his sanguinis profluvium per ora venarum in ano sanguinem fundere solita existere posse spes est, 437. sec.2. l.2.co.

Tabes maximè periculosæ sunt, quæ ex eruptione venarum crassarum & ex capitis distillatione contingunt, 438. sec.2. co.

Tabe maximè periclitantur ætates ab anno 18. ad 35. 439. sec.2. co.

In tabidis pruritum sentientia corpora & alvi suppressione, malo sunt, 440. sec.2. l.2. coac.

In naturis ad tabem promptè comparatis si fluxiones ad gingivas & dentes cum febre compareant, malum denuntiant, 441. sect. 2. coac.

Præcordia in tumorem sublata omnibus quidem mala sunt, præserrim verò his qui à longo intervallo tabidi sunt, 422. sect.2. l. 2. coac.

Vide gravidam respirationem, sputum, tempus.

TEMPVS & TEMPESTAS.

Quotidianæ tempestates Aquiloniæ cogunt corpora firmantque, mobiliora, item expeditioraque, & coloratiora & auditu valentiora reddunt, alvum siccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis priùs habuerit, exasperant, contrà austrinæ eadem solvunt & humectant, auditum hebetant, caput gravant, vertigines oculis, tarditatem & languorem corporibus adsuerunt, alvum humectant, aph.17. sec.3.

Assiduis imbribus morbi ferè fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ, siccitatibus autem, morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, vrinæ & intestinorum difficultates, aph. 16. sec.5.

Auster auditum hebetat, caligines visui obducit, caput gravat, corpori tarditatem & langorem conciliat, cùm itaque is incre-

bescit, talia invalidis accidunt. Contrà Aquilo tusses exasperat, alvum indurat, vrinam supprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit; hoc itaque dominante, talia infirmos expectare oportet, aph.5. sect.3.

Cum æstas sit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet, aph. 6. sec. 3.

Æstate verò superiorum quoque nonnulli, & febres & continuæ, & ardentes, & tertianæ, plurimæ, quartanæ item & vomitiones, alvi profluvia, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines & sudationes, aph.21. sec.3.

Autumno æstiui etiam multi morbi & febres quartanæ & incertæ, lienes tumor, aqua inter cutem, tabes, vrinæ difficultas, intestinorum tum lævitas tum difficultas, coxæ dolores, angina, anhelatio, intestinorum parte quapiam coarctatio, epilepsia, insania, melancholia, aph.22. s.3. Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, gravedines, raucitates, tusses, pectoris laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ, aph. 23 s.3.

Vere insania, melancholia, epilepsia, fluxiones sanguinis, anginæ, gravedines, destillationes, tusses, lepra, impetigines, vitiligines & pustulæ vlcerosæ, plurima tubercula, articulorum dolores, aph.20. sec.3.

Muta-

Mutationes temporum potissimùm pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris aut caloris cæteraque ad proportionem his similiter, aph.1. sec.3.

Naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hiemem bene aut malè se habent, aph.2. sec.3.

In temporibus cùm eodem die, modò calor, modò frigus, autumnales morbi expectandi, aph.4. sec.3.

Certis temporibus & suam tempestatem servantibus certi & tempestivi ac judicatu faciles morbi fiunt, incertis autem & alienis incertæ quoque ægrotationes fiunt & ad judicandum difficiles, aph.9. sec.3.

Magnis siccitatibus febres fiunt acutæ, quòd si annus talis esse pergat, qualem temporis statum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet, aph.7. sec.3.

Autumno in vniuersum morbi acutissimi & pernitiosissimi: ver autem saluberrimum & minimè exitiosum, aphor.6. sec.3.

Autumnus tabidis nocuus, aph.30. sec.3.

Inter anni partes si hyems sicca & aquilonia, ver pluviosum & australe fuerit, æstate necesse est febres acutas fieri, ophthalmias & dysenterias, mulieribus præsertim & viris natura humilioribus, aph.11. sec.3.

Contrà verò si australis hyems & pluviosa & tepens fuerit, ver siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit

quavis occasione abortiunt: aut si pariant tam infirmos & morbosos partus edunt vt vel statim ipsi intereant vel tenues & valetudinarij vivunt. Cæteris dysenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt & senibus catarrhi perniciem brevi allaturi, aph.12. sec.3.

Æstate verò sicca & aquilonia, autumno pluvioso & australi, vehementes capitis dolores in hyeme & tussies,& raucitates,& gravedines, nonnullis etiam tabes expectanda, aphor. 13. sec.3.

Aquilonio verò & sicco autumno, hominibus natura humidis & mulieribus commoditas parabitur, alios ophthalmiæ siccæ, & febres partim acutæ, partim longæ, quosdam etiam melancholiæ malè habent, 14. sect.3.

Ex tempestatibus anni,in universum siccitates assiduis imbribus salubriores, & minimè mortiferæ,aph.15. sec.3,

Vide morbum, frigidum, febres, ætatem.

TENESMVS.

Si prægnanti tenesmus supervenerit,aborsus est causa, aph.27. sec.7.

Vide excrementum.

TESTICVLI.

Testiculi pudendumque retractum, malum denuntiant, 494. sec.2. co.

Quibus in tumorem sublato ventre,pudendum rubor occupavit, mulieribus, purgamen-

mentis albis humidis subito procedentibus, diuturnis febribus, intereunt, 530. sec. 2.co.

TORPOR.

Torpor in contraria celeriter permutatus perniciem denuntiat, 56. sec.2 l 2. co.

Torpores & stupores præter consuetudinem evenientes, adfuturam syderationem denuntiant, 47. sec.2. co.

Vbi rigori torpor succedit, mentis alienatio significatur, 35. l.1. præd.

TVMOR.

Manuum ac pedum tumores cum rubore, perniciem denuntiant, 63.s.2.l.2.co.

Parvi in longis morbis aurium tumores, si subinde sanguis è naribus profluat, & tenebricosa vertigo excitetur, exitio sunt, 104. sec.2.co.

Molles & doloris expertes tumores longiore spatio finiuntur, nec ita grave periculum afferunt. Quod si neque intra 60. dies desinunt ac febris detinet,suppurationem expectare oportet. Idem verò haud secus quàm in præcordiis perpenditur in tumoribus qui circa ventrem fiunt, nisi quòd hi quam illi minùs suppurant, minimùm verò qui sub umbilico constituuntur. Atq; hi quidem in tunica concluduntur, illi autem sursum diffunduntur. Ex quibus etiam mortem magis afferunt, quicunque intrò rumpuntur. Reliquas autem suppurationes quæ

quidem foràs erumpunt, maximè sanè conducit in quamq́ exiguum & acutissimum locum colligi, quæ autem intrò vergunt, ut neque tumore, neque dolore, neque colore, manifestas foris notas edant; quod verò contrà fit, pessimum est. Harum autem quædam propter puris crassitudinem nullam de se significationem ostendunt. At recentes præcordiorum tumores, inflammationis expertes, ac dolores qui in ipsis fiunt, murmur circa præcordia exortum solvit, sed potissimùm quidem ubi per urinas ac dejectiones elapsum fuerit, sin minùs ubi etiam hoc ipsum transmissum fuerit, quin etiam ad infernas sedes devolutum juvat, 281. sec.2. co.

Ex præcordiorum tumore, biliosis spiratio magna, & febris acuta, tubercula ad aures suscitat, 290. sec.2.co.

Temeratu ventris tumores in morbis longis convulsiones afferunt, 86. sec.2. co.

Molles autem tumores & doloris expertes digitisq́ue cedentes, longiores judicationes faciunt, illisq́ue minimè graves sunt. Quòd si intra dies sexaginta neque febris cesset, neque tumor subsidat, fore suppurationem hoc loco reliquo ventre eodem modo significat. Itaque tumores dolentes, duri & magni periculum mortis intra paucos dies affore significant. Molles verò & minimè dolentes quique digito pressi cedunt, illis diuturniores esse solent. At ventris tumores minùs abscedere

dere nati sunt, quàm qui in præcordiis oriuntur, minimè verò qui infra umbilicum in pus vertuntur. Sed ex superioribus locis sanguinis eruptio maximè expectanda est. Longorum verò omnium in his regionibus tumorum suppurationes in considerationem adhibendæ. Suppurationum autem quæ inde proveniunt observatio facienda est, quæ quidem foràs vertuntur, optimæ sunt ubi parvæ sunt, & quàm maximè foràs feruntur, & in acutum tendunt. Pessimæ verò quæ magnæ sunt & latæ, minimeque in mucronem attolluntur. At quæ intrò rumpuntur, optimæ, ubi nihil cum externa sede communicant, in sese contrahuntur, nullo dolore afficiunt, totaque regio externa unius coloris apparet, ex lib. præn

Tumores humescente alvo, sublati in altum cum doloribus, malo sunt, Alvo verò suppressa, dum ne quid aliud innovetur, celeriter rumpuntur, maligniores sunt, in his vomitus pravi & maligni, 623. sec.2.co.

Articulorum tumores & colores absque ulcere & podagricas convulsiones magna ex parte, frigida largè affusa levat, & extenuat, solvitque dolorem, nam modicus torpor doloris solvendi vim habet, aph.25. sec.5.

Quibus sunt cum ulceribus tumores conspicui, ii non admodum convelluntur, nec insaniunt: quibus verò repente evanuerint, siquidem postica parte affectum sit, convul-

ſiones & tetani accidunt, ſi verò à fronte, inſania lateris dolor acutus, empyema & dyſenteria, ſi rubicundi fuerit tumores, apho. 65.ſec.5.

Si in magnis vulneribus & pravis tumor non appareat, ingens malum, aph.69. ſec.5.

Incontenta bona, contenta verò cruda mala, aph.67. ſec. 5.

In diuturnis morbis ſuppurati ad aures tumores niſi pus admodum album ac ſine odore reddant exitium, præcipueque mulieribus adferunt, 206. ſec.2.l.2. co.

Vide anginam, febres, oculos, hypocondr. hydropem.

TVBERCVLA.

A tuberculi introrſum eruptione, oxolutio, vomitio, & animi defectio fit, aph. 8. ſec.7.

Quos febres longæ exercent, iis tubercula ad articulos vel labores fiunt, aph. 44. ſect.4. Idem repetit, aphor. 53. & 64. ſec.7.

Quibus tubercula ad articulos, vel labores poſt febres fiunt, ii cibariis pluribus utuntur, aph.45. ſec.4

Quibus in meatu urinario generatur tuberculum, ubi ſuppuraverit, & eruperit, doloris fit ſolutio, aph.57. ſec.7. Idem repetit. aph.82.ſec.4.

Quæ cum dolore exoriuntur ad aures tubercula, perniciem minantur, 199. ſec.2. co.

Tubercula ad aures excitata in leviter ſyderatis, malo ſunt, 201. ſec.2.co.

In diuturnis morbis non ſuppurantia aurium tubercula mortem adferunt, iis autem alvi ferè demittuntur, quin & in his conſiderandum in quibus ſperamus abſceſſus circa aures futuros, num ex capite doleant, num ſuperiorum partium tenuibus ſudoribus diffluant, nunquid etiam ſubinde novum rigorem ſentiant, an fortè etiam alvi affatim perrumpant, aut aliquo ſopore detineantur. Videndum quoque num & in his vrina diluta cum ſublimibus quibuſdam in medio ſuſpenſis albidis & aliquantulum variantia exalbicantia, aut graveolentia appareant, 203. ſec.2. co.

In præcordiis jam longo intervallo afflictis & graveolente alvo, ſubnatum ad aures tuberculum mortem adfert, 292. ſec.2. co.

Quibus tuberculum ad veſicam adnaſcitur, urinæ difficultatem adferens, iis quivis corporis habitus negotium faceſſit, cujus quidem ſolutio contingit per puris eruptionem, 473. ſec.2. co.

Vide anginam, ætatem, dolorem præcordiorum.

TVSSIS.

Tuſſes cum crebra ſalivatione, abſceſſum

circa aures emolliunt, 167. sec. 2. l. 2. præd. Idem repetit. 204. sec. 2. l. 2. co.

Quibus siccæ tusses paululum irritantes in febribus ardentibus perseverant, ii non admodum siticulosi sunt, aph. 54. sec. 4.

Qui spumantem sanguinem extussiunt, iis ex pulmone educitur, aph. 13. sec. 5.

Vide hydropem, tabem, sputum.

TREMOR.

Qui cum furiosa mentis emotione tremuli evadunt, malignè habent, 88. sec. 2. co.

Quibus capitis ac cervicis dolor & totius corporis impotentia cum tremore adest, ab iis sanguinis eruptio liberat, quin etiam ista tempore dissolvuntur, 152. sec. 2. l. 1. præd.

Timores senioribus in febre contingunt, atque vbi apparent calculi, fortasse per vrinas excluduntur. 590. sec. 2. co.

Vide dementiam, rigorem, frigus.

TINNITVS.

Aurium sonitus cum visus hebetudine & ad aures gravitatis sensus, mentis excessum aut sanguins ex naribus profluvium præsagiunt. 194. sec. 2. co.

In præcipitibus morbis murmur edentes ac tinnientes aures; mortem prænuntiant, 193. sec. 2. co.

Aures frigidæ, pellucidæ, contractæque perniciem minantur, 192. sec. 2. co.

Vide

Vide dolorem auris & capitis.

TORMINA.

Tormina ea quidem omnia mala sunt si cum febre quidem incidunt, aut variis alvi recrementis, aut jecoris inflammatione, aut præcordiorum, aut ventris aut quæcunque doloribus cruciant, aut cibos cohibent, sitimque inferunt. At celerrimè is perit, quem maxima pars horum malorum occupat. Hinc verò plurimum inest spei, cui horum paucissima adsunt. Itaque morbus præcipuè pueros à quinto anno perimit, & qui eum superant ad decimum vsque, cæteræ ætates tutiores sunt. Vtilia autem tormina sunt quæ his malis, non affligunt. At vbi sanguis & strigmenta per alvum rejecta fuerint 7. die desinunt, aut 14. aut 20. aut 40. aut intra hoc tempus. Hujusmodi namque dejectiones etiam eos qui ante fuerunt in corporibus morbos tollunt. Inveteratos quidem spatio temporis majore, recentes verò etiam paucis diebus levare possunt: Siquidem & prægnantes ipsæ etiam plerumque ad partum supersunt, & ex parte, fœtumque conservant, etiamsi per multos menses sanguis & strigmenta per alvum secedunt, nisi si dolore affligantur, aut aliquod ex malis signis quæ in difficultatibus intestinorum adesse scripta sunt, accesserit. Quòd si horum aliquod adesse visum fuerit, & fœtui perniciem ac

prægnanti periculum denunciat, nisi post fœtus absolutionem, aut secundarum dimissionem, ipsa tormina, eodem die, non multum post cessaverint, ex l. 2. præd.

VARICES.

Vide calvum.

VENTER.

Vide excrementa.

VERTIGO.

Tenebricosas vertigines circa initia sanguinis ex naribus fluxio solvit, 341. sec. 2. coac.

Ex venis in ano fundere solitis aliquantulum apparentibus, tenebricosæ vertigines obortæ, parvam, ac sensim factam partium resolutionem indicant, ex quo liberat venæ sectio, & quicquid hujusmodi apparere solet, mali aliquid denuntiat, 346. sec. 2. co.

Febres vertiginosæ, & cum tenuis intestini morbo, & sine hoc, perniciem intentant, 106. sec. 2. co.

VMBILICVM.

Vide dolorem vmbilici.

VERMES.

Lumbricis tenuibus, & longis qui ascarides dicuntur in capitis dolore vexatis consequente surditate, & sopore, tubercula ad aures excitantur, 165. sec. 2. co.

VENTRICVLI MORSVS.

Vide febres, hæmorrhagiam.

VICTVS.

Victus tennuis & exquisitus, & in morbis longis semper, & in acutis, vbi non convenit, parum tutus, rursumque victus qui ad summam pervenerit tenuitatem, molestus. Siquidem quæ ad summam plenitudinem perductæ sunt repletiones, molestæ, aph. 4. sec. 1.

In tenui victu peccant ægroti, quo fit vt magis lædantur. Siquidem quodvis peccatum gravius hic quam in paulo pleniore victu solet esse. Eadem de causa sanis etiam valde tenuis stataque & exquisita victus ratio parum tuta, quia errata gravius ferunt, quare tenuis exactusque victus paulo pleniore existit maxima ex parte periculosior, aph. 5. sec. 8.

Cùm itaq; morbus peracutus est, extremos protinus labores habet summeque tenuissimo victu est vtendum; quum verò non est, sed pleniorem victum licet exhibere, tantum de extrema victus tenuis ratione remittendum, quanto extremis morbus fuit remissior, aph. 7. sec. 1.

Cum morbi vis est maxima tunc vel tenuissimo victu est vtendum, aph. 8. sec. 1.

Sed ex ægroto conjecturam facere oportet, an eum præscripto victu perstet ad

morbi vsque rigorem, an priùs deficiat, imparque cum tali victu succumbat, quàm cedat morbus & obtundatur, aph.9. sec.1.

Quibus itaque vigor statim futurus est, tenuiter statim alere oportet: quibus autem posteriùs, & in ipso vigoris tempore, & paulo sub ipsum de victu demendum, antea verò plenius alendum vt ægrotus perferre queat, aph.10. s.1.

In ipsis tamen exacerbationibus cibum adimere oportet; nam præbere noxium, & cùm per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum, aph.11. sec.1.

Accessiones verò, & constitutiones morborum indicabunt, tum morbi ipsi, tum tempora anni, tum periodorum proportionis inter se obseruatio, siue eæ qnotidie, siue alternis, siue maiore interuallo fiant. Sed ex iis quæ postea apparent, indicia sumuntur, velut in pleuritide, sputum si statim initio appareat, breuem fore denuntiat, si verò posteriùs conspiciatur, longam, quin etiam vrinæ, alui fæces, sudores, & judicatu faciles, aut difficiles, & breves, aut longos morbos fore, quum superveniunt, demonstrant, aph.12. sec.1.

Ieiunium senes non decrepiti ferunt facillimè, secundùm hos qui constantem ætatem agunt, minùs adolescentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè qui acriore sunt, & vividiore ingenio præditi, aph.13. sec.1.

Qui crescunt natiuum calidum habent plurimum, copioso itaque cùm egeant alimento abunde ipsis suppeditare oportet, alioqui corpus consumitur. In senibus verò inest calidi parum, paucis propterea succendiculis egent; siquidem multis extinguitur. Ob eandem causam, nec senibus febres perinde acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus, aph.14.sec.1.

Ventres hieme, ac vere natura calidissimi & somni longissimi. Per ea igitur tempora plus cibi dare oportet, siquidem plus natiui caloris habent, quo fit vt copiosiore alimento egeant. Argumento sunt ætates & athletæ, aph.15. sect.1.

Victus humidus cùm febricitantibus omnibus vtilis, tum pueris maximè, atque aliis qui tali victu vti consuevere, aphor. 16. sect.1.

Quibus etiam semelne an bis & plus, minúsve & gradatim præbere cibum conveniat, spectandum. Dandum etenim aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini, aph.17. sect.1.

Æstate & autumno cibi copiam ferunt difficillimè, hyeme facillimè, vere minùs. aph.18. sect.1.

Quibus per statos circuitus accessiones fiunt, nihil dare, nec cogere, sed demere ante judicationes, aph.19. sec.1.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora sensim reficere oportet, quæ verò brevi, breviter, aph.7. sec.

Impura corpora quo magis nutriveris, eo magis læseris, aph.10. sec.2.

Facilius est potu refici quam cibo, aph.11. Vide cibum

VISVS.

Vide odorem.

VITILIGINES.

Vide impetigines.

VIGILIA.

Vide convulsionem.

VITA.

Vide crisim.

VER.

Vide tempus.

VOX.

Quibus voces cum dolore deficiunt, ij tandem non sine summo cruciatu vitam cum morte commutant, 249. sec.2. co.

Vocis defectiones cum virium exolutione ac alto sopore, quem catochon vocant, perniciem minantur, 250. sec.2.co.

Confractæ voces post medicamenti purgantis potum considerandæ num pravæ sint. Horum plerisque tenues sudores diffluunt, & alvi humectantur, 251. sec.2. co.

In vocis defectione respiratio veluti iis qui suffocantur conspicuè elata, & visui exposita, perniciem minatur: animadvertendum etiam est num delirium prænuntiet, 252. sec.2. co. Idem repetit, 25. lib.1. præd.

Vocis defectiones rigore subinde correptis lethales, fereque in capitis dolores conflictari solent, 255. sec.2. co.

Vocis defectiones cum virium exolutione in acuta febre sine sudore, sunt quidem lethales, cum sudore verò, minùs, ac temporis diuturnitas significatur. Ac fortasse quidem quibus ex morbi reversione tale quid contingit securissimè habent, ex iis autem maximè in periculo versantur quibus sanguis ex naribus profluit, & alvi effunduntur, 256. sec.2.co.

Vox acuta ejulabunda ac oculorum hebetudo convulsionem minatur, his dolores ad inferiores partes demissi, toleratu sunt faciles, 257. sec.2. co.

Crebræ, & quæ cum sopore quodam consistunt vocis defectiones, tabem denuntiant, 259. sec.2. co.

Quos vox cum febre, & absque vlla judicatione deficit, ii tremuli, 247. sec.2.co.

Vocis defectiones in febre quæ convulsionis speciem præ se ferunt, & in mentis emotionem cum silentio desinunt, perniciem ostentant, 248. sec.2. co. Idem repetit, 54. l.1. præd.

Quæ ex rigore fiunt vocis defectiones, tremore solvuntur atque eos qui subinde novo rigore corripiuntur succedentes tremo-

res judicant. 27. sec. 2. co.

Quibus vox in morbis acuta redditur, iis præcordia intrò trahuntur, & tendunt, 45. l. 1. prædict.

Vox acuta & stridula, malo est, 47. l. 1. præd.

Vbi post vomitum anxiosum vox stridula est, oculi squalidi, & pulvere obsiti, insania portenditur, non secus ac Hermorygæ conjugi accidit, quæ vehementi insania correpta, voce defecta interiit, 17. sec. 2. præd.

Vocis defectiones cum singultu pessimæ, 23. sec. 2. l. 1. præd.

Vocis defectiones cum virium exolutione pessimæ, 24. l. 1. præd.

Vide convulsionem.

VOMITVS.

Qui sanguinem vomunt, si sine febre accidat, salutare est; si cum febre malum, curatio verò refrigerandi, & abstergendi vim habentibus perficitur, aph. 37. sec. 7.

Vomitus virulenti, & æruginosi in capitis doloribus cum surditate, & insomnia, promptam insaniam significant, 169. sec. 2. co. Idem repetit. 10. l. 1. præd.

Vomitio maximè est innoxia, quæ pituita & bile permixta est, dum ne admodum copiosa sit. At synceriores vomitiones deteriores sunt. Viridis quoque vomitus & niger, & lividus, vitiosus est; quod si omnes colores idem vomat, exitiale est. Celerrimum

mum autem exitium indicat lividus, & mali odoris: mortem quoque adfert ruber vomitus, idque præcipuè si cum majore conatu, & dolore contingat, 556. sec. 2. co.

Vomitiones exiguæ, biliosæ, malum denuntiant, tum verò præcipuè si pervigilio conflictentur ægri, 558. sec. 2. co.

Vomitus parvi, & frequenter repetentes, beliosi, synceri, mali sunt in copiosa ventris subductione, & intenso lumborum dolore, 560. sec. 2. co.

Vbi ex vomitu anxietudo occupat, vox stridula est, oculi pulvere obsiti, insania portenditur, ac tales vehementi insania correpti voce defecti intereunt, 561. sec. 2. co.

In vomitu eum qui siti prematur sitis expertem esse, malum est, 562. sec. 2. co.

Crebrò repetentes iisdem perseverantibus casibus vomitiones, ad judicationem nigra vomitione refundunt, quin etiam tremulos ægros faciunt, 571. s. 2. co.

Vomitiones variæ malæ sunt, præsertim si continentes, & assiduæ prodierint, 60. s. 2. l. 1. præd.

Vomitiones syncerae, & cum angore aut incontinenti corporis jactatione, damnandæ sunt, 62. sec. 2. l. 11. præd.

Vomitiones exiguæ, biliosæ malæ sunt, tum verò potissimùm si pervigilio conflictentur ægri, in quibus stillans nasus perniciem minatur, 79. sec. 2. l. 1. prædict.

A sanguinis vomitione tabes & puris supernè purgatio, aph.78. sec.2.

Vomitus perquam est vtilis qui bilem pituitæ, quàm maximè permixtam habet, ac neque admodum crassus est, neque multus. Qui enim synceriores, pejores sunt. Si verò quod vomitione rejicitur porrum colore referat, aut lividum aut nigrum fuerit, quisquis horum colorum adfuerit, prauus existimandus est. Quòd si eodem vomitu omnes hi colores rejiciantur, id exitiale est admodum. At liuidus vomitus si graviter olet, celerrimam mortem denuntiat ex l. prænotionum.

Bilis vomitus vulneri succedens malum denuntiat, præcipueque in capitis vulneribus, 507. sec.2. co.

Qui spumantem sanguinem evomunt, partibus infra septum transversum dolorem nequaquam sentientibus, iis ex pulmone vomitio. At quibus quidem insignis in eo venæ ruptio fit, copiosiùs vomitione rejicitur periculumque imminet. Quibus verò minor, minùs rejiciunt, & majorem sanitatem promittunt, 433. sec.2. co.

Qui sanguinem evomunt cum febre multa, dolorem ad mammam, thoracem, & dorsum, quibus, inquam, hæc insunt omnia, ii brevi moriuntur, quibus autem non omnia, neque intensè adsunt, tardiùs, ad summum autem diebus 14. inflammationem concipiunt, 426. sect.2. co.

Mulieri sanguinem evomenti menstruis erumpentibus solutio fit, aph. 32. sec.5.

Vide alvum, dysenteriam, excrementa, hæmorrhagiam, tabem, sanguinem.

VVLNVS & VLCVS.

Vbi febricitanti fauces exulcerantur, si aliunde quoque ex grauioribus signis aliquod affuerit, periculum denuntiandum est, 276. sec.2.co.

Qui ex vulnere subinde rigentes sanguinem profundunt, ii malignè habent ac inter loquendum derepente moriuntur, 328. sec.2. l.2. co.

In tenuibus intestinis si quod dissectum fuerit, non coalescit, 502. sec.2. co.

Serpentia oris ulcera in prægnantibus bono non sunt, ac fortè etiam alvi humectantur, 514. sec.2. co. Idem repetit, 544.

In uterum jam gerentibus, fluxiones serpentia oris ulcera cum dolore excitantes malum denunciant, in iis sanguinis per ora venarum profluvium pessimum. 529. sec.2.co.

Si in magnis vulneribus & pravis, tumor non appareat, ingens malum, aph.66. sec.5.

Circumglabra ulcera, maligna, aph.4. sec.6

Aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facilè sanantur, aph.8. sec.6

Si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere neceſſe eſt, & cicatrices cavas fieri, aph.45. ſec.6.

Vulnere in thorace accepto, ſiquidem externa vulneris pars ſanitatem receperit, interna verò nequaquam, ſuppurationis periculum impendet, quibus autem interni vulneris cicatrix debilis effecta eſt, promptè reſcinditur. 430. ſec.2. co.

Quibus ex vulnere corporis impotentia accidit, ii quidem febre citra rigorem oborta ſani evadunt, alioqui dextra aut ſiniſtra parte ſyderantur, 477. ſec.2. l.2. co.

Vlcus lividum, & aridum aut pallidum effectum, mortem indicat, 496. ſec.2. co.

Ex cerebri vulnere febris vt plurimùm ac bilis vomitus ſuccedit, & corporis reſolutio, iique perniciosè habent, 500. ſec. 2. l.2. co.

Serpentia vlcera ſupra inguina ad laterum inanitatem, ad pubem enata, malè affectam alvum denuntiant, 628. ſec.2. co.

Ex vulnere autem ferè mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſica aut quædam grandis vena. Mors quoque ſubit, ſi in arteriam & pulmones inſignes valde plagæ conflictæ ſunt, ita vt percuſſo pulmone minor ſit qui per os prodit ſpiritus quàm qui per venas excidit. Intereunt verò quibus nervi interiores, ſive

tenuis

tenuis aliquis ſive craſſus vulnus acceperit. Si plaga tranſverſa fuerit, & magna; quòd ſi parva, & recta, nonnulli periculo eximuntur. Minimè verò ab his vulneribus mors impendet quæ in corporis partes, in quibus hæc non ſunt, aut ab his quàm longiſſimè abſunt, infliguntur. 509. ſec.2. co.

At in vulneribus quæ in ſupercilium, aut paulo altiùs inferuntur, viſus acies obtunditur; at quo vulnus recentius eſt, eo magis vident, inveteraſcente autem aut tardante cicatrice magis obtundi ſolent, 510. ſec.2. co.

Ab oſſis vulnere deſipientia, ſi in vacuum vſque penetraverit, aph.24. ſec.7.

Vlcera qui noſſe volet qualem quæque exitum habitura ſint, is imprimis quidem hominum naturas animadvertere debet, quænam ad vlcera meliùs, quænam etiam deteriùs affectæ ſunt, deinde ætates in quibus ſua cujuſque generis vlcera non facilè profligantur. Locos etiam corporis in conſiderationem adhibere, quantum alii aliis præſtent. At præcipuè quænam horum quique bona, maláve accedunt noſſe debet. His ſiquidem omnibus cognitis, quænam cujuſque eventu futura ſint facilè aſſequetur, neque exiſtimandum eſt enim qui hæc non cognoverit quinam futuri ſint vlcerum exitus perſpicere poſſe, corporis autem naturæ probandæ ſunt, leves moderatæ, firmis viſ-

ceribus, præditæ, neque admodum carnosæ, neque duræ, tum quæ colore sunt albo, aut nigro, aut rubro, hæ etenim omnes probantur si puræ sunt. Deterius est, si ex pallido mixtum, aut lividum, aut pallidum colorem habeant. Quæ verò naturæ supra positis adversantur, eas deteriores esse constat, ex l.2. præd.

Vlcus sive ante morbum, sive in morbo natum sit, nosse oportet. Nam si periturus æger est, ante mortem, lividum & siccum, aut pallidum & siccum erit, ex l. prænot.

Vide convulsionem.

VMBILICVM.

Vide dolores vmbilici.

VRINA.

Quibus non sine febre vrinæ sunt crassæ, grumosæ, & paucæ, si ab his tenues & copiosæ meïantur, prosunt; maximè verò tales redduntur in quibus statim ab initio, vel non ita multò post sedimentum apparuerit, aph.69. sect.4.

Vrinæ tenues nubeculam quandam in medio assumentes rigorem denuntiant, 532. sec.2. co.

Quibus per febres vrinæ turbatæ quales jumentorum, iis dolor capitis, vel adest, vel aderit, aph.70. sec.4.

Quibus die 7. futura crisis est, iis vrina rubram die 4. nubeculam habet cæteraque pro ratio-

ratione, aph.71. sec.4.

Quibus pellucidæ & albæ sunt urinæ malæ, maximè verò si in phreniticis appareant, aph.72. sec.4.

Vbi spes est ad articulos abscessum iri, abscessu liberat urina crassa, & alba reddita, quales in febribus laboriosis 4. die quibusdam exire incipit, quòd si ex naribus etiam sanguis profluxerit, brevi admodum solutio fit, aph.74. sec.4.

Quibus cum urina crassa exiguæ carunculæ aut veluti pili exeunt, his à renibus excernitur, aph.76. sect.4.

Quibus cum urina crassa surfuracea quædam exeunt, his vesica scabie laborat, aph. 77. sect.4.

Si quis sanguinem aut grumos meiat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogastrium & perinæum pertinente, ad vesicam loca laborant, aphor.80. sect.4.

Si quis sanguinem aut pus, aut squamulas meïat, & gravis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur, aph.81. sec.4.

Mictus noctu plurimus parvam dejectionem significat, aph.83. sec.4.

Difficultatem urinæ phlebotomia solvit, secare verò interiores, aph.36. sec.6.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorem farinam referunt, longam invaletudinem fore significat, aph.31. sect.7.

Quibus in urinis biliosa sedimenta, sed su-

pta tenuia apparuerint, acutum morbum significat, aphor. 32. sec.7.

Quibus diversæ sunt urinæ, iis vehemens fit in corpore turbatio, aph.33. sec.7.

Quibus in urinis bullæ innatant, nephritim & longam fore invaletudinem significant, aph.34. sec.7.

Si quis sanguinem & grumos meiat, & stranguria laboret, dolore ad hypogastrium, & perinæum pertinente, ad vesicam loca laborant, apho.80. sec.4.

Vrinæ quæ cum rigore restitarunt, malum & convulsionem prænunciant, tum verò præcipuè si antea alto sopore æger detentus fuerit, in his autem abscessus ad aures sperare oportet, 25. sec.2. co.

In tumoribus ad aures urinæ celeriter ac pauco tempore concoctæ damno sunt, & perfrigerari, itidem malum, 205. sect.2. coac. Idem repetit, 153. lib.1. sec,2. prædict. Idem repetit, 587. sec.2. l.2. co.

Si quis sanguinem, aut pus meiat, renum aut vesicæ exulceratio significatur, apho.75. sect.4.

Vrinarum in præcipitibus malis ex perfrictione interceptiones pessimæ, 51. sect.2. lib. 1. prædict.

Quin & laboriosæ urinæ damnantur, atque ab his detentæ rubræ quædam efflorescentiæ, & æruginosæ, parvæque veluti quædam stillæ apparentes, 59. sec.2. lib.2. præd.

Quibus

Quibus manus sunt tremulæ cum capitis & cervicis dolore, levi aliqua surditate affecti nigricantes reddunt urinas, & densas, in his casibus nigrorum progressum expectare, & suspectum habere oportet, 95. sect.2. l.1. præd.

Vrinæ quæ cum rigore restitant, damno sunt, idque præsertim, si altus sopor prægressus; animadvertendum est, num in his abcessus ad aures sperare oporteat, 155. sect.2. libro 1. prædict.

Si quibus urinæ non recordantibus, nec admonitis effluunt, pernicies portenditur: animadvertendum etiam est, num & ab his tales redduntur, quales fiunt, ubi subsidentiam conturbaveris, 19. sect.2. l.1. prædict.

Vrinam autem copia potui respondentem reddere oportet, & semper æqualem, & quàm maximè effusam, & ad paulo crassius inclinantem, quàm quod potu sumptum est. Quod si diluta fuerit, & copia major quàm quod potui sit assignatum, hominem dicto non audientem significat, sed abundantiore uti potu, aut non posse nutritionem accipere quandiu talis urina reddetur. Si verò paulatim cum stridore urina mittatur, aut medicamenti potione hominem indigere, aut vesicam quodammodo malè affectam denuntiat. At sanguinis mixtus tatus quidem & sine febre ac dolore nihil mali indicat; verùm lassitudinum sensus solvitur. Quòd si

sæpiùs mictu reddatur, aut horum aliquid accesserit, periculum minatur. At prædicendum est, siue cum dolore, sive cum febre, mictu reddatur, pus insuper per urinam effluxurum, atq; eo pacto dolores tolli: urina verò crassa in qua quod subsidet album est, articulorum dolorem aut tumorem denuntiat. Quę autem sunt reliqua sedimenta in urinis eorum qui exercentur, ea omnia à morbis sunt qui circa vesicam affligunt; quod manifestum facient dolores qui aderunt, & à quibus vix liberari queant, ex lib. 2. prædict.

Vrina optima est in qua per omne tempus quoad morbus judicatus fuerit, subsidet album, læve & æquale. Securitatem enim brevemque morbum fore significat, quòd si intermittat & interdum quidem pura meiatur, interdum etiam subsidet album, & læve, diuturnior, & minùs securus morbus evadit. At urina subrubra, simulque quod subsidet, & læve, hæc longè quidem diuturnior quàm prima fit, valde tamen salutaris. Sedimenta autem in urinis crassiora hordei tosti non exactè moliti partes referentia, prava sunt, hisque pejora laminis similia; alba verò, & tenuia valdè prava, atque his etiam deteriora surfuracea. Nubeculæ quæ per urinas feruntur, albæ quidem bonæ, nigræ verò malæ sunt: quòd autem urina fulva fuerit, & tenuis, crudum esse morbum indicat. Quòd si diutiùs talis urina perseveret, periculum

culum est ne non possit æger sufficere quoad urina coquatur. At exitiosiores sunt urinæ fœtidæ, & aquosæ, & nigræ & crassæ. Ad hæc in viris quidem & mulieribus urinę nigræ in pueris aquosæ deterrimæ. Quibus tenues, & crudæ multo tempore redduntur, si reliqua signa salutaria sint, in his abscessus ad loca infra septum transversum expectari debet. Quin etiam pinguedines supra innatantes aranearum telas referentes, damnare oportet, colliquationem namque significant. In urinis autem quæ nubeculas habent, considerandum venit, an supernè, an infernè ferantur, & quósnam habeant colores, & quæ quidem deorsum feruntur, cum dictis coloribus bonæ censendæ, & commendandæ: at quæ feruntur sursum malæ, & vituperandæ. Neque verò tibi imponat vesica quoquo modo affecta si hujusmodi urinas reddiderit, non etiam totius corporis, sed ipsius per se indicium est, ex lib. 2. pręnot.

Quibus incogitantibus urina decidit, ac pudendum contrahitur, ii desperati sunt, 474. sec. 2. co.

Quibus in urina adipalis superficies est & conferta, iis nephritim & acutum morbum adesse significat, aph. 35. sec. 7.

Vrinarum ex perfrictione interceptiones, pessimæ, 5. sec. 2. l. 2. co.

Procedente morbo surditas, ac urina subrubra cum nullo sedimento, sed cum sublima-

mentis in medio innatantibus, mentis emotionem prænuntiant. In his morbo regio corripi malum est, quin etiam malo est, ex morbo regio fatuitas. Hos voce defectos absque sensuum læsione pręfocari contingit, ac fortassis etiam in his alvus male afficitur, 198. sec.2. co.

Tenuioris intestini morbus urinæ stillicidio succedens intra 7. diem interimit, nisi suborta febre urina affatim prodierit, 475. sec.2. l.2. co.

Vrina in febre album & læve depositum habens sedimentum, celerem liberationem denuntiat. Celerem quoque quæ diluta indiscretam quandam habent pinguedinem. Quæ verò aliquantulùm rubet, subrubrum habet sedimentum, & læve, siquidem ante 7. diem appareat, 7 die solutionem fieri designat, post septimum autem tardiorem aut planè diuturnam. Et quæ quarta die subrubram nubeculam capit, 7. liberat, dum reliqua pro ratione habeant: tenuis autem & biliosa, & ægrè lentum habens sedimentum, & quæ in melius ac deterius commutatur, temporis diuturnitatem postulat. Quòd si istud diutiùs perseverat, aut ad judicationem temporis longinquitas requiratur, periculo non vacat, 575. l.2. co.

Diluta verò & alba in diuturnis morbis perseverans difficilem & non securam judicationem facit, 576. sec.2. co.

In

In urinis nubeculæ, albę quidem, & quæ infimum locum tenent, utiles sunt, rubræ verò nigræ, ac lividę molestiam exhibent, 577. sec.2. co.

In præcipitibus morbis periculum denuntiat urina biliosa, neque aliquantulùm rubra, & quæ hordei tosti, non exactè moliti crassioribus frustulis similia habet sedimenta alba, & quæ colore, ac sedimento variat, præcipueque in iis quæ ex capite fiunt defluxionibus, perniciem etiam præ se fert, quę ex nigra in biliosam tenuem transit, & quæ sedimentum habet divulsum, quæque ex his quæ densata per urinam feruntur, quod subsidet habet aliquantulùm livescens & limosum. Ac fortasse ex his quidem præcordia dextra dolor occupat, aut ex virore pallescunt, aut abscessus ad aures cum dolore excitantur, in his paulo post effusa alvus periculum denuntiat, 578.

Vrinæ derepente præter rationem parum concoctæ, vitiosæ sunt, ac in totum quæ in morbo acuto vrina præter rationem cocta est vitium denotat. In his quoque est prærubra efflorescentia contenta atque æruginosa. Alba verò effusa, & perspicua urina mala est, præcipuè in phreniticis apparens, mala quoque quæ post potionem celeriter meitur, præsertimque in lateris doloribus, & pulmonis inflammationibus. Mala etiam quæ ante rigorem oleosa redditur. Mala

quoque & in acutis morbis & quæ ex viridi pallescunt, nec in colore persistunt, 579. sec.2. co.

Perniciem verò indicat vrina, in qua nigrum est quod subsidet & quæ nigra est. In pueris etiam potiùs tenuis quam crassa, (in tenuibus autem contrà quàm in commutatis vrinis accidit) & quæ grandinem refert, & genituræ similis effunditur, itemque dolorem exhibet. Perniciosa quoque est quæcunque ægro inscio redditur. At in pulmonum inflammationibus periculum indicat, quæ initio concoctionem habet, verùm post quartum diem tenuis evadit, 580. sec.2. co.

In laterum doloribus vrina cruenta, obscura, cum eo quod subsidet vario & indiscreto, vt plurimùm in quatuordecim diebus mortem adfert. Laterum quoque dolore affectis in propinquo mortem esse significat. Quæ viridis nigrum habet sedimentum; aut furfuribus simile: febre verò ardente cum alto stupore (quem catochon dicunt) detentis, ex albida vrina pessima est, 581. sec.2. co.

Vrina cruda quæ sic diu perseverat vt reliqua signa salubria sunt; abscessum & dolorem, præcipueque infra septum transversum denuntiat. Doloribus verò ad lumbos oberrantibus, ad coxam idque in febre, & sine febre. At quæ emittitur vrina in qua quod subsidet pinguedinem habet, febrem significat

significat. Cruenta verò circa initia reddita, morbi diuturnitatem. Returbida quoque, cum sudore morbi reversionem. Alba autem qualis in vterino genere redditur, capitis dolorem, membranosa convulsionem. Quæ verò sputo similia habet sedimenta, aut limosa, rigorem denuntiat, quæ aranearum telis similia quædam habet, colliquationem. At in errantibus febribus, nigræ nubeculæ quartanam denuntiant. Decolores autem vrinæ suspensa quædam in medio nigra habentes, cum pervigilio, & perturbatione phrenitidem, cineritiæ verò cum spirandi difficultate, aquam intercutem, 582. sect.2. coac.

Vrina diluta, aut arenida, & facilè dissolubili asperitate returbata, liquidam fore alvum denuntiat, quæ verò admodum tenuis spissa evadit, fortasse erupturum sudorem indicat, jam autem erupisse quæ spumam in seipsam insidentem habet, 583. sec.2. co.

In tertianis, cum horrore nubeculis nigris similia, inconstantem horrorem indicant. Membranosæ quoque mictiones, & quæ cum horrore subsidunt, convulsiones prædicunt, 584. sec.2. l.2.co.

Vrina in qua quod subsidet bonum est, & derepente evanescit, dolorem ac mutationem denuntiat. At quæ sedimentum habet returbida residens, rigorem circa indicationem, fortè etiam & in tertianam aut quarta-

nam transitum, 585. sec.2. l.2.co.

Laterum dolore affectis vrina aliquantulum rubra lævem habens subsidentiam, securam judicationem prænuntiat, quæ verò aliquantulùm pallida, bene florulenta est, & albam habet subsidentiam, celerem quoque. At quæ admodum rubra, & bene florulenta sedimentum pallidum, læve ac purum habet, diuturnum, valdeque turbulentum morbum fore, & in alium transiturum, non tamen perniciosum. Alba verò diluta hordei tosti non exactè moliti crassioribus frustulis simile habens sedimentum fulvum, dolorem & periculum denuntiat. At quæ pallida fulvum habet sedimentum hordei tosti non exactè moliti crassioribus frustulis simile, diuturnitatem ac periculum indicat, 586. sec.2. co.

Febricitanti vrina densitatem habens, divulsam morbi reversionem aut sudorem portendit, 593. sec.2. co.

In febribus longis, parvis, vagis, tenuium vrinarum ejectiones, lienis affectionnem denuntiant, 594. sec.2. co.

In febre variarum interdum vrinarum mictiones, morbum producunt, 595. sect. 2. coac.

Vrinæ quæ non sentientibus effluunt aliàs perniciem denuntiant. Animadvertendum num tales his reddantur quales fiunt vbi subsidentiam conturbaveris. 596. sec.2. co.

Qui-

Quibus vrinæ paucæ, grumosæ, non sine febre, si ab iis tenues & copiosæ prodierint, juvat, talibus autem circa initia procedunt, aut non multo post sedimentum habent, 597. sec.2. co.

Quibus in vrinis citò aliquid subsidet hi brevi judicantur, 598. sec.2.co.

Vrinæ præter consuetudinem tenues, & crudæ, absque repletione in morbo comitiali obnoxiis, morbi insultum denuntiant, idque præcipuè si in summum humerum, aut cervicem, aut dorsum dolor, aut convulsio incidat, aut torpor totum corpus occupet, aut turbulentum insomnium visum fuerit, 599. sec.2. co.

Quæ parva copia apparent, velut stillæ sanguinis vrinæ vomitiones & dejectiones, malum quidem penitus denuntiant, pessimum verò si exiguis intervallis sese consequantur, 600. sec.2.l.2. co.

Vrina intercepta, & ad imum ventrem pondus, vt plurimùm futurum vrinæ stillicidium denuntiat, sin minùs, alvum aliquem morbum ex consuetudine affligentem, 591. sec.2. co.

Vide abscessum, convulsionem, dolorem, surditatem, alvi excrementa, hydropem.

VESICA.

Vesica intercepta maximeque cum capitis dolore convulsionem quandam minatur,

quæ in his cum torporis ſenſu exolvuntur, moleſtiam,non perniciem afferunt, ac fortè aliquantulùm deſipiunt, 588. ſec.2. co.

Veſica, & graviter dolens omnino quidem mala eſt, peſſima verò ſi febris continua acceſſerit (veſicæ namque dolores interimendi vim obtinent) & alvus his nihil admodum reddit, hos autem metu liberat vrina purulenta procedens, in qua album & læve ſubſidet: Quòd ſi neque hæc lævata fuerint, neque veſica mollior reddatur, intra primos circuitus laborantem moriturum expectandum eſt. Hoc verò pueris à 7. anno ad 15. præcipuè contingere ſolet, 471. ſect. 2. coac.

Veſica intercepta cum capitis dolore convulſionem minatur, quæ in his cum torporis ſenſu exolvuntur, moleſtiam exhibent, non tamen perniciem adferunt, videndumque eſt, num tale quid etiam mentem excutit, 120. l.2. prædict.

Vide ſectionem.

VISVS.

Vide dolorem.

VITILIGINES.

Vide impetigines.

VITA.

Vide criſim.

VTE-

VTERVS.

Quibus vteri os durum eſt, iis arctetur neceſſe eſt, aphor.54. ſec.5.

Vterinæ ventris duritates cum dolore celerem perniciem denuntiant, 528. ſect. 2. coac.

Vide dolores vteri.

FINIS.